Polemica

1. Appendix vindiciarum Anti-Libavianarum: censura duplex

2. De Brower Iacobi: divina fide et credendum Paulum V esse summum Pontificem

3. Annon, vel Etc. Synopsis Apostatiae M. Antonii De Dominis

APPENDIX

VINDICIARUM Anti-Libavianarum.

Censura duplex:

I.

EPIGRAMMATIS IN Vindicias Lucifugę Blattæ.

II.


EXERCITATIONIS Gymnasticæ, de significatione termini PROPTER.

EXPOSITA

Literis ad doctum quendam Virum, Rem ipsam, non Personas, spectantem exigentemq́;.



16 16.



BASILEÆ,
Apud JOH. JACOBUM GENATHIUM,
Acad. Typographum.

Genere nobilissimo,
Genio laudatissimo,

D. PETRO-PAULO MUNKA
AB EYWANCZICZ,
Gente Moravo;
de felici,
Cum Ephoro meritissimo,

D. VALENTINO RITTERO
GORL. L.
Viro eruditissimo,
in Basileensem Academiam
adventu:
SIBI verò IPSI,
de talibus HOSPITIBUS;
gratulatur hisce,
dum majora constent officia,

M. LUDOVICUS LUCIUS,
Acad. Professor P.



S. P.



CANICULARES erant, cùm acciperem *Exercitationem Gymnasticam* Libavii, *de significatione termini Propter*; & *Epigrāma in Vindicias Lucifugæ Blattæ Calvinianæ*: Credo iisdem, certè ingenti cerebri furentis æstu, nata & extrusa. Quid enim utrobique est sani cerebri; & non præ furore spumantis convitia, calumnias, mendacia, errores, &c? Expende mecum singula quædam. Quid *Epigramma*, cum ejusdem *titulo*, habet; nisi, ut mitissimè dicam, mera postulata? Mitto enim jam cætera, quæ impudentissimum scurrā potiùs, aut canem rabiosissimū, quàm festivum poetam, decent: certè non Christianum; nedum Christiani *collegii*, quale Coburgi esse vult Princeps serenissimus, *doctorem* aut *directorem*.

Vindiciarum autor accuſatur, ut *Lucifuga*. Magnum crimen! quaſi non ſit quoq; , ubi cum laude fugi lux poſſit. v.g. in faciendâ Eleemoſynâ; ex præcepto Chriſti, Matth. 6. v. 1. &c. ad ſuſpicionẽ Hypocriſeos declinandam. Conſcientiam Libavii appello; ſi quã reliquam habet ab hoc furore: an non etiam ideò (ſcio enim alias quoq; eſſe cauſas; easq; juſtas) ſuis libris præfigat nomen ſuum: ſive apertè; ut ferè ſemper: ſive, ut olim, cùm ſe *Lucifuga* immiſceret negotio *Colloquii Ratiſponenſis* ultimi, nomine, per μετάθεσιν literarum, *Baſilii de Varna*: ut ſpectetur ab hominibus? Neq; enim urgebo eum
» exemplo *Philoſophorum illorum; qui li-*
» *bellis, quos de contemnendâ gloriâ ſcri-*
» *bunt, nomen ſuum inſcribunt:* (Cicerone interprete, Orat. pro Archiâ poëtâ)
» *ut prædicetur de ipſis, quòd gloriam deſpi-*
» *ciant.* Si autem illud, Eleemoſynam facere ut ſpecteris corã hominibus, judice Chriſto, in vitio eſt: par autẽ, quãtum ad hoc, ratio eſt editorum librorum

rum

rum & eleemoſynæ: præſtat, nomina ſupprimere; præſertim, quoties negotium eſt cum contentioſis. Hi enim, omiſſis ἔργοις & doctrinâ, de quâ cõtroverſia eſt, arripiunt πάρεργα; in quibus ſunt perſonalia. Ne ergo iſtud fieret etiam hîc: ſingulari ſtudio cautũ fuit, quantum licuit. Neq; enim omni ex parte licuit; uti res ipſa docet. Deſinat ergo tandẽ Libavius: &, ſi quid adhuc ſapit, virum bonum & doctum agere incipiat; conſiderando, non quis dicat, ſed quid dicatur. In nobis porrò, ex præcepto Apoſtoli, Phil. 2. v. 5. erit *hic ſenſus, qui in Chriſto*: qui λοιδορούμενος *non* ἀντελοιδόρει. 1. Petr. 2. v. 23.

Hæc de *Epigrammate*, & *titulo*. Ad *Notas* ei ſubjectas accedo. Miratur I. *Baſileæ inveniri, qui cẽſuris & vindiciis ſe opponat exercitiis Libavianis*: duplici de causâ falſiſſimâ. Primùm; *cùm cæteri, qui hactenus ſententiam noſtram de Electione ſecuti ſunt, vacillent: & Ordines Hollandi, ſingulari decreto, ſententiã adverſariã* (Pſeudo-Lutheranorum)

approbarint: alii Irenica ediderint, in quibus videantur hæresin istam mittere velle. Secundò; *cùm nihil ad illum pertineat Casimirianum Coburgi.*

Vacillant ne *cæteri*, præter Lucium? Nemóne, post defectores, *Arminium, Vorstium, Bertium*, & asseclas eorum, restat, non dico in orbe Christiano, sed in Belgio; qui nostram sententiam cõstanter tueri pergat? Næ, qui asserit, Semi-Pelagianismũ Pseudo-Lutheranorum singulari decreto ab Ordinibus approbatum, nostramq; sententiam fuisse damnatam: is ostendit, se, aut id non legisse; aut, si legit, non intellexisse, ne titulũ quidem. Hic enim docet, propositum Ordinibus non esse, distinguere veritatẽ à falsitate; sed dissentientes partes *ad pacem* compo-
„ nere. Verba tituli sunt: *Pro pace Eccle-*
„ *siarum.* Præfationis vero ad Lectorem
„ verba sunt: *Manet quidem, his positis, &*
„ *remotis utrinq; in præceps ducentibus ab-*
„ *ruptis, nonnihil in medio indefinitum: id*
„ *ipsum videl. quod inter Veterum, qui Bea-*
tum

tum Augustinum antecesserunt, ipsiusq́; ,,
Augustini priorem sententiam, & ejusdẽ ,,
posteriorem alteram, interest. Sed id omne ,,
tale esse, semper sensit pia mater Ecclesia: ,,
ut possit, & sinè salutis dispendio nesciri, ,,
& salvâ pace inquiri. &c. Hoccíne est, ,,
veritatẽ, quam iste putat, Pseudo-Lu-
theranam approbare simpliciter; &
non potiùs secundùm quid? Verba
Decreti sunt: *Qui verò, in locorum an-* ,,
te-dictorum (de Prædestinatione & ,,
cohærentibus) *explicatione, suprà nec* ,,
docent, nec sentiunt: quàm, à Deo omni- ,,
potente, ab æterno, ad salutem perpetuam ,,
electos, pro benevolo affectu voluntatis ,,
ipsius fundato in Christo Jesu, Redemtore ,,
nostro & Servatore, eos; qui, per immeri- ,,
tam gratiam, & Spiritus S. operationem, ,,
in Jesum Christum, Dominũ nostrũ, cre- ,,
dunt; & in fide, per similem impromeritã ,,
gratiam, ad finẽ usq; perseverant: contrà ,,
verò, ad damnationem rejectos eos; qui in ,,
Jesum Christum non credunt, & in incre- ,,
dulitate perseverant: Hos nolumus eo no- ,,
mine molestiam pati; aut urgeri, ut suprà ,,

» *doceant, aut sentiant.cùm eam docendi* » *formam, judicemus ad salutem sufficere;* » *& ad Christianam instructionē esse idoneam.* Videantur & cætera. Fac autem, hîc vacillare Ordines; aut dissentire à nobis: nondum tamen sequitur, eos approbare Ubiquistica portenta verè, aut Pseudo-Lutherana. Eadē est ratio τῶν Εἰρηνικῶν editorum. Quis enim eorum unquam testatus est, aut se patrocinari hęresi; aut velle deserere simpliciter hactenus defensam sententiam nostram? Mera ergo mendacia sunt in primâ causâ.

In alterâ tergiversatur; fortè propter evidens, & à seipso cōfessum mēdacium. Tergiversatio est: quia, cùm dicere debuisset; *Exercitia Libavii, quæ Vindiciis impugnantur, nihil pertinere ad M. Lucium:* (istud autem evidēter falsum esse, ipsemet testatur: habito illo pro Prædestinatiano & Adversario) substituit; *ad eum nihil pertinere Casimirianum Coburgi.* Hoc verum quidem est: sed eo sensu, quo in vitio

vitio eſt τὸ ἀλλοτριοεπισκοπεῖν. 1. Pet. 4. verſ. 15.

At eodem ſenſu, ut nihil ad Libavium pertinuit olim Colloquiū Ratiſponenſe; de quo antè: ita nec hodieq; pertinēt Prædeſtinatiani, ſive veteres, ſive recētes. Cur ergo laceſſivit prior? Ex quo autem omnes universè laceſſit Coburgianis ſuis Satyris: quid miratur, ſingulos defenſionis omniū gentiū jus arripere? quid indignatur, innominatos facere; quādo ipſe neminē nominavit ſingulariter? Fuit ergo M. Lucio, cæteriſq; cum Auguſtino conſentientibus, eſt, & erit jus, adversùs *Caſimirianum Coburgi*: quamdiu *Directores* ejus erunt *Libavii*, hoc eſt, qui putent ſibi licere, quicquid in nos noſtramq; doctrinam libet.

Atq; hæc prima eſt *Notæ* pars. Uter nunc *Blatta* eſt? (Martialis; non Sidonia: de quâ jam antè patet) Libavius; an putatus Vindiciarum autor, *M. Lucius*? Blattarum eſt, perdere ea, quæ homini ſunt uſui; ut veſtes, &c. Quo-

niam autem nulla eſt veſtis, quæ tam decet hominem ingenuum, quàm veritas: & hæc per Lucium illæſa eſt; per Libavium verò mirificè depaſta ac deformata hactenus: quid judicaturũ cenſes, Vir Clariſſime, vel ipſummet Libaviũ, ab æſtu Syrii fortè liberatũ?

In alterâ *Notarum* parte pollicetur, *ſe reſponſurum, Deo volente*, (an etiam jubente? Neq; enim aliam Dei voluntatẽ agnoſcit, ante factum. Ubi autem is hoc jubet?) *pro merito.* Quàm vellẽ! Cui autem? & de quibus? Si *Blattæ Baſileenſi, M. Lucio*; ut habet contextus: cur pollicetur, 1. *ſe reſponſurum ad Fricii libellũ?* An & hic Lucii eſt? Non: ſed quia *eũ admiratur is homo ſimplex.* At hoc non eſt Lucio reſpondere; *ſimplici* illi quidem: ſed *ſimplicitate fidei Abrahæ*; nec tamẽ *puerili*, ut putat iſte, in *Exercit. Gymnaſt. de ſignificatione termini Propter, Diſtinct. ſeu Theſ. 8. & 36.* Talem autem eſſe fidẽ credemus *Fricii*, in iſto libello verè *ſimplici*, h. e. ab oſtentatione & bile alieniſſimo; donec pro-

probetur contrarium. Quid autem? Est'ne *pro merito respondere*; *cursoriè* tantùm, ut pollicetur tertiò, *ad Vindicias respōdere?* Si, uti addit, *Vindiciæ nihil sunt aliud, quàm argumentum Haeretici Prædestinatiani absurdissimi, & Sophistæ adeò inepti; ut scuticis & ferulis undiquaq; sit dignus*: næ ille vel hocipso ostendit, se à Sapientis partibus abiisse. Sapiētes enim ne *cursoriè* quidem respondere solent talibus; aut spem responsionis facere. Credo autem, hoc deniq; futurum, si responderit; quod ait Horatius: "*Parturiūt montes; nascetur ridiculus mus.*" Id verò satìs testatur mora; & illi, qui Francofurtum jamdudum adversùs Fricium missa excudere noluerunt: ut cogitandum fuerit de *Giessensibus*; quorū hic antehac solitus est esse cibus: nescio an deinceps etiam. Habes, Vir Clarissime, ἀντίδωρον unum, Epigrammatis Libaviani.

Restat alterum; Thesium nempe, seu *Exercitationis Gymnasticæ, de significatione* — CENSURA generalis, tituli Exercitationis.

tationis Libavianæ, de term. PROPTER.

tione termini Propter: quod par erat fore prolixius. sed literæ & vices hæ non ferunt: etsi fortè Caniculares, qui dant id otii & animi. Conferã ergo in pauca, quà de Titulo: reservatis Thesibus in aliud tempus.

Pollicetur Titulus primò, *Exercitationem Gymnasticam*, h.e. *Scholasticam*; (ita enim explicat Th. 44. etsi talis nõ sit tota; sed exinde tantùm: eò quòd prior non sit probata sensu Scholarũ, putà Aristotelis; sed Ecclesiæ, Verbiq; Dei) *de significatione termini Propter.* Atqui *occasio*, quę subjicitur, & fit *quæstio*, uti ait; *Num Christus quidẽ mortuus sit pro omnib. hominibus, sed non propter omnes homines?* &c. ostendit, Exercitationem non tantùm esse de termino *Propter*; sed etiam *Pro.* quemadmodũ tractatio ostendit, non tantùm esse *Scholasticam*; sed etiam *Theologicam*, & quidem parte priore potioreque: ideoq; ab hac potiùs denominandam fuisse. Etsi enim, in hac quæstione, cõsensus prę supponatur in *Pro*, & dissen-

sus

ſus in *Propter:* quia tamē universè proponitur fruſtrà; niſi demonſtretur, *Pro* & *Propter* non differre ullibi: ideóque etiam utriusque facienda erat mentio; & hoc modo: *De ſignificatione* „ *termini Propter & Pro: differant ne ali-* „ *quando; ut in hac quæſtione de morte* „ *Chriſti,* (quemadmodum cenſent ii, „ quos iſte refutandos ſumit; nec tamen nominat, non absque fraude) *néc ne?* Quòd ſi, uti propoſuit, agere voluiſſet *de ſignificatione termini Propter:* omnes hujus ſignificationes fuiſſent afferendæ. Verùm ne ſic quidem conſtaret convenientia, aut diſcrepantia, cum *Pro;* ſive universè, ſive *in hac materiâ:* (differunt enim hæ conſiderationes: uti colligere eſt ex Th.15.) niſi & iſtius ſignificationes eſſent allatæ. Quare vel hac ratione utriusq; mentio neceſſaria eſt.

Quod de fraude dixi; etiam elucescit ex eo, quod addit, *de concurrentiâ hujus quæſtionis, cum hæreſi Prædeſtinatianorum Calviniſtarū:* ceu causâ prio-

re ejus, quod ſecundò pollicetur in Titulo;vid. *repetitionis ſuæ ſententiæ de Prædeſtinatione.* Etſi enim ineptè dicitur, *quæſtio concurrere cum hæreſi alicujus:* quis tamen non ſuſpicetur indè, quaſi etiam nos ita diſtingueremus τὸ *Propter* & *Pro*; & quidem in hac materiâ. Ipſemet tamen nos ſuſpicione liberat, Th. 7. dicens: *Calviniani negăt pertinaciter, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; id affirmant noſtri Diſputatores.* Nimirum diſtinguimus, cõtra hos & Libavium, inter *omnes ac ſingulos homines,* & *omnes fideles ſeu electos.* Illud expreſsè exſtare, aut bonâ cõſequentiâ deduci è S. literis, contra utroſq; affirmantes, negămus. Quare pro eo, quod dixit; *Quæ quæſtio cùm concurrat cum Prædeſt.*&c. dicendum fuerat; *cùm concurrat alicubi:* videlicet *in expoſitione termini Omnis*; & non *Pro*, aut *Propter:* niſi quoad, non utriusque inter ſe differentiam, de quâ controverſia eſt; ſed homonymiam: quam, poſt Scholaſticos, (quibus alia eſt *efficientia ſeu*

efficaſ

efficacia, & alia *sufficientia)* agnoſcit ipſemet Theſ.15. ſed depravatam. Inquit enim: *Si jam, in materiâ paſsionis & mortis Christi, in ſacris literis, τὸ διὰ cum Accuſativo, rectè & propriè exponitur latinè, Propter; idq́ ita, ut non poſsit non ad omnes homines referri: ſive fruantur ſalutariter morte Christi; ſive ea cedat eis in condemnationem, propter contemptum & incredulitatē: (eſt enim odor vitæ ad vitam, fidelibus; mortis ad mortem, infidelibus: ut utrobiq non tantùm merito valeat; ſed & efficaciâ) palàm eſt, &c.* Neq; enim Scholaſtici, ita diſtinguentes, quamvis *efficaciam* intelligunt; ſed ſalutarem tantùm: ut & *Diſputatores* illi. quemadmodum docet argumentum ſecundum, ita expoſitū Th. 6. *Si propter omnes eſſet mortuus; etiam omnes ſalvarentur.* Immò deniq; Th.27 *Stropham Calviniſticam* vocat, diſtinctionem; quam ipſe tamen imprudens ſequitur, dicēs: *Efficacia mortis Christi omnib. conferret; niſi incredulitas obſtaret.* Quid enim hoc eſt aliud, quàm ſufficien-

ficientiam concedere; efficaciam, quæ ipſa eſt ſalus, negare? immò confundere voces? Ut autem errant *Diſputatores* illi, dum putant, τὸ *Propter*, *efficaciam ſalutarem* notare tantum; & non etiam *ſufficientiam*: ita quoque, dum τὸ *Pro*, *ſufficientiam*; & non *efficaciam*.

Quid autem utilitatis redit ad concurrentiam iſtam, ex *repetitione* promiſsâ? Nulla. Quare alia cauſa additur: *ſparſio* ſcilicet *Vindiciarum noſtrarum, contra doctrinam ſanam Eccleſiæ, & Gymnaſii Coburgici.* Sed quid & hîc, ſi maximè id poſtulatum detur, contrà facit *repetitio* iſta? An etiam demonſtrationum facta eſt repetitio? Ita quidem ipſi videtur. Sed quid hoc ad nos revincendos? præſertim ὡς ἐν παρόδῳ facta, *ſeu compendiosè*; ut ait, minùs cō-modè, ſive per ἐπεξήγησιν, ſive per διάλυσιν. Differunt enim illa, ut pars & totum. quod non apparebit in compendio iſto; nedum plenè. Quòd-ſi dixerit, factum eſſe ſuorum causâ; *donec Apologiæ*, ut ait, *& examina Cenſurarum*

& Vin-

& Vindiciarum nostrarū absolvantur: res eódem récidet. prętérquàm, quòd jā satìs ipsius sententia pateat; ut nō opus sit repetitione. Atq; hęc de hederâ suspensâ. Ipsum vinum, an non vappam esse, indè colliges? Ita rem habere, aliâs faxo intelligas; si voles. B. V. Cal. Aug. Anno 1615.

T. quem nosti.

CENSURA SPECIALIS, THEsium Exercitationis Libavianæ, de termino PROPTER.

HActenus de *Titulo*: sequitur de *Thesibus* ipsis *Exercitationis*. Ita enim consueto more præstat nominare; quàm *Distinctiones*, novo vel pontificio more. cū nulla sit causa mutationis; magna cōtrà retētionis: ut *fugiatur* improbata etiam Thes. 7. & 8. *κενο-& καινοδοξίας singularitas in Ecclesiâ.* Si enim, ut rectè putat Thes. 5. *singularitas quorundam; qui, ut videantur præ cæteris sapere, & singulare quid invenisse,*

separant se à communi doctrinâ, terminisq; & loquendi modis; in vitio est: cur hîc in nominibus se separat Exercitator? An Libavio, quicquid libet, licet? *Distinctiones*, fateor, locum habent in terminis etiam: *Theses* non item; sed tantùm in Enuntiationibus. Quòd-si ergo vocabuli *Propter*, de quo titulus erat, tot attulisset significationes, quot sunt Theses: rectè fortasse *distinctiones* appellâsset. Non attulit autem: immò Thesibus plerisq; ne mentionem fecit vocabuli. Non certè Thesibus quinq; prioribus: quibus continetur quasi quoddam Exordium, & à proposito alienum, & apud nos minimè necessarium; nisi cõtra ipsummet Exercitatorem. Fatemur, quotquot sumus Christiani, ne Pontificiis exceptis, (contra quorum tamen *terminos terminantes*, ut in margine notatur, ista videtur attulisse) quod à principio,
Thes. 1. Thesi 1. ait: *Absq; omni dubio* (h. e. firmiter) *tenendum, fundamenta fidei salvificæ, nec humani arbitrii esse*; *ut* (quem-

(quemadmodum explicat Th. 3.) *privato judicio liceat, ultra id quod scriptũ est, aliquid proferre, addere, demere: nec, post canonem authenticum Scripturarũ, extra eum quærẽda dogmata, seu fundamenta fidei: nec quicquam pro principio & regulâ fidei recipiendum, quod cum eâ pugnet.* Quòd enim Pontificii, judiciũ Ecclesiæ, traditionesque urgent: non ut extraneum urgent; sed ut in Scripturâ fundatum: quámvis falsó. Cur autem Ipsemet, Scripturâ hîc non cõtentus, petit probationes ex *Antiquitate, Conciliis*; Th.13. à *rationibus*; Thes. 19. *Patribus*; Thes. 20. *Scholis denique*, & *Aristotele*; Thes. 44?

Fatemur quoque, quod Thes. 2. ait, argumentando: *Si Christus & Apostoli omnem suam doctrinam, ad primam partem Canonis, quæ erat typica & prophetica* (sed nõ tota tamen) *retulerunt*; non neglectis sensibus, & ratione indè petitâ: *quantò magis nos decet ad Scripturam, Canone typico & essentiali,* h. e. vetere & novo Testamẽto, *completam,* Thes. 2.

omnem fidem reducere: & nihil profundamento habere; nisi quod Propheticum & Apostolicum est; Sacris literis revelatum; & partim evidenti expreßâq; Scripturâ dictum, partim necessariâ demonstratione (pro, consequentiâ) *ex primis conclusum?* An non etiam hoc fatentur Pontificii? Neq; enim in hoc dissentiũt à nobis: sed alibi; ut aliâs demonstratur. Quæ sunt autem illa *prima?* Si id, quod priùs posuit: cur non perspicuitatis causâ dixit; *partim necessariâ consequentiâ ex eo conclusum?* Cur *Partim* utrobiq; posuit; & non potiùs *vel?*

Cur etiam, quasi tertium & diversum quid, statim addit Thes. 3. *Cætera sunt fidei primis analoga; ut propheticæ interpretationes, disputationes, praxes, seu* (quo autore?) *ritus, locutiones, conclusiones, &c?* Necesse enim est, hęc esse aut principia, aut conclusiones indè deductas. Ideóque hinc probat, pergens: *Non enim sapiendum ultra id, quod scriptum est: nec privato judicio* (sinè Scripturâ, aut divinâ inspiratione.

ne. 1 Petr.1.20,21.) *aliquid proferendum in divinis: nihil addendum; nihil demendum: logia Dei loquẽda. 1 Pet.4.11.* Quod postremum tamen, magis de modo agit: ut testantur verba Apostoli; ὡς λόγια. Quâ de causâ etiam Paulus *vult orari pro se*; non solùm, *ut Deus aperiat* „ *sibi ostium, loqui mysterium Christi*; Co- „ loss.4.v.3. verùm etiam, *ut manifestet* „ *illud*, ὡς δεῖ λαλῆσαι, v.4. Ideò etiam *scire oportet, quomodo unicuiq; sit respondendum*: v.6. & universè, *quomodo debeat homo Dei* (2 Tim.3.v.17.) *conversari in domo Dei, quæ est Ecclesiâ*. 1. Timoth.3.v.25. Utroq; nomine *lingua coërcenda; & nihil scãdalosi, sive per logomachias, & falsi nominis scientiam sophisticam*, (quæ non exstat 1 Tim.6. v.3,9,20.) *spargendum*; sive aliâ ratione.

Quid autem horum probat Thesi 4? Ubi & nos fatemur, *certum esse, fidem esse revelationis per Filium, ex sinu Patris: Deum promisisse doctorem & prophetam Christum: hunc omnia, quæ audivit à Patre, annuntiâsse Apostolis; His* Thes.4.

dedisse Spiritum: Christum audiri ab eo, qui hos audiat. &c. Verbi enim Dei scripti, de quo antè egerat, nulla fit mentio: nisi fortasse per *fundamentum Ecclesiæ doctrinale*, ad differentiam essentialis seu realis, Christi; obscurissimé. Eadem Scriptura, quâ continetur doctrina Christi & Apostolorũ, (non, ut ait denique, *Christus) est lapis Lydius hodieq́, quo alii spiritus, num sint Christi vel Antichristi, probantur.*

Thes. 5. Mirantur autem, immò detestantur etiam Pontificii, quod Thes. 5. infert non satìs cōmodè, *protervitatem quorundam; qui, ut videantur præ cæteris sapere, & singulare quid invenisse, separant se à communi doctrinâ, terminisq́ & loquendi modis*, putà Scripturæ. Hæc enim, in *suo sensu privato*, Scripturæ adverso, *fiducia, olim multas hæreses peperit; & simplicitatē fidei, tanquā veneno serpentino, perdidit.* De hac certè doctrinâ; non de terminis & loquendi modis, loquitur locus ad marginem „ allegatus, ex *2 Corinth. 11. vers. 3. Timeo*

meo autem, ne fortè, ficuti ferpens Evam feduxit aftutiâ fuâ; ita corrumpantur mentes veftræ à fimplicitate illâ in Chriftum: videlicet *prædicando alium Jefum*, v. 4. ""

Atq; hoc exempli fatìs effet, ad cavendum; ut non opus foret declarare alio, quod quafi Narrationem quandam fubjicit Thef. 6. *Audimus*, inquit, *jactari alicubi à nonnullis hanc phrafin: Chriftus mortuus eft quidem pro omnibus hominibus; fed non propter omnes homines.* Id an verum fit, meritò quis dubitaverit, ex fuppreffo nomine. Si qui tamen ita diftinxerunt: illâ locutione procul-dubio intellexerunt fufficientiam; uti hac efficaciam, efficientiam, finem, intentionem hominibus falutarem, vel quomodo libet appellare. Patet id, non folùm ex argumento altero; (duo enim profert. 1. *τὸ Pro, legi Roman. 5. v. 6, 8. 2 Cor. 5. v. 14. τὸ Propter, nufpiam.* 2. *Si propter omnes effet mortuus; omnes falvarētur. Hoc falfum. Ergo & illud.*) fed etiam ex Thef. 15. ubi & Thef. 6.

meritum, & *efficaciam*, urget: ſed aliam tamen, quàm de quâ quæſtio eſt; ut ibi videbimus. Cùm autem hi diſputatores non ſint *Calviniſtæ*; ut loqui ſolet Calumniator, & teſtatur Theſi 7. cur Theſi 27. *Stropha Calviniſtica* vocatur? Cur *præſumtionis humanæ commentũ*? Stropha potiùs Semipelagiana eſt: quòd, cùm ſic explicata diſtinctio refutanda eſſet ex profeſſo, cum argumentis, tergiverſatur: notans, primò ad locum poſteriorem; *τὸ Pro ibi finale eſſe, cujus ſignificationem ſcientificam habeat τὸ Propter: ut Matth.15.v.24. τὸ Ad.* Sed fallitur, putans Apoſtolum 2 Cor.5. v.14. loqui universè de omnibus & ſingulis hominibus. Loquitur „ enim tantùm *de mortuis, & viventibus,* „ *non ampliùs ſibi-ipſis; ſed Chriſto, pro ipſis mortuo & excitato:* ut etiã Rom.6. „ v.2. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo* „ *adhuc vivemus in illo?* Et: *Liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem; finem* „ *verò, vitam æternam.* v.22. De efficaciâ,

fructu,

fructu, & fine mortis Christi, sermo est: non de sufficientiâ; quam omnes fatentur, ut distincta est ab efficaciâ. Est enim, qui neget distinctionem certo consilio: non simpliciter; ut Exercitator Thes.27. cõtra se-ipsum Th.15. uti dictum. Quid aliud, quàm efficacia intelligitur; quando Christus *Matt.15. v.24. negat se missum, nisi ad oves perdi-* „
tas domus Israël, h.e. Judæorum? Intel- „
lige autem, principaliter & primò. In eam enim sententiam exponitur Actor.13. v.46. *Vobis* (Judæis) *erat ne-* »
cessariũ primùm loqui Verbum Dei, &c. »
Nam, si nullo modo missus esset, ne secundariò quidem; contrà, quàm est jam demonstratum: nullam quoque opem tulisset Cananææ; aut (quod absurdum) contra propositum. Ut ergo, propter quos missus est & venit, iis succurrit: & succurrit, non omnibus; sed petentibus tantùm: ita quoq; non mortuus est, ut mortis efficacia omnibus promiscuè, credentibus & non-credẽtibus, prodesset: alioquin etiam

non-credentes ſalvi forent.

Neq; etiam, quæ *huc referri* vult dicta, *Joh.1.v.7,9.& 5.v.43.* docent, *Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus: aut pro ovibus etiam non-reſtitutis Chriſtum mortuum.* Johan.1.v.7. tantùm dicitur,
„ *Johannem veniſſe in teſtimonium, ut teſtaretur de lumine; ut omnes crederēt per*
„ *id.* Omnes, apud quos teſtabatur de eo. Non teſtatus autē eſt apud omnes & ſingulos, aut paſſim: ſed tantùm in deſerto. Sufficeret tamen omnibus; adeò ut, ſi omnes crederent, ſalvarentur. Sic v.9. tantùm dicitur; *Lux vera illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Verſu autem 10. & 3. explicatur de primo ortu; & non de regeneratione, de quâ quæſtio eſt. Sic, quid ad rem facit, quòd *Chriſtus* dicitur *veniſſe in propria; & ſuos eum non recepiſſe?* v.11. *veniſſe in nomine Patris ſui; & eos non accepiſſe ipſum?* c.5.v.43. An, quia culpa eſt hominum incredulitatis; indè ſequitur, Chriſtum mortuum eſſe quoq; propter tales? Quâ conſe-

consequentiâ? Quæ igitur cōjungenda erant; ea malè divelluntur, hisce verbis: *Non omnes oves sunt restitutæ: quia filii regni ob incredulitatem ejecti; non quòd propter eos Christus non sit mortuus.* Expressè enim, ut culpa imputatur hominibus inobœdientibus: ita quoque negatur venisse Christus ad alias, quàm ad oves perditas, h.e. perditionē suam agnoscentes: in quibus erat Cananæa; cui succurrit, præ aliis infinitis non-agnoscentibus, & eo-ipso ostendentibus, Christum pro eis non venisse.

Ex his manifesta est falsitas propositionis, Thes.7. *Hanc disputationem facere, non ad ædificationem; sed ad subversionem fidei, ad temerarias contentiones, schismata, & similes turbas Scholarum & Ecclesiarum:* idque *facile esse videre.* Et calumnia est: *Calvinianos negare pertinaciter, Christum pro omnibus mortuum esse.* Negant enim tantùm, secundùm scopum ac intentionem Dei & Christi; aut secundùm efficaciam & *Thes.7.*
fructum,

fructum, qui est Electorum & fidelium tantùm: ut docent, prȩter infinita alia, sequentia etiam, quæ restringunt τὸ
„ *Omnes*, vel ei derogant. *Ego pono ani-*
„ *mam meam pro ovibus.* Joh.10.v.15. *Pro-*
„ *phetavit fore, ut Jesus pro illâ gente mo-*
„ *reretur. Nec tantùm pro illâ gente: sed ut*
„ *etiam filios Dei dispersos congregaret in*
„ *unum.* Joh.11.v.51,52. *Ecclesiā Deus pro-*
„ *prio sanguine acquisivit.* Act.20.v.28.
„ *Quis est qui condemnet Electos Dei?*
„ Rom.8.v.23. *Christus mortuus est pro no-*
„ *bis omnibus.* v.32. *Christus exposuit se pro*
„ *Ecclesiâ.* Eph.5.v.25. *Consecratus, factus*
„ *est omnibus, qui auscultant ipsi, autor*
„ *salutis æternæ.* Heb.5.v.9. *Unicâ oblatio-*
„ *ne consecravit in perpetuum eos, qui san-*
„ *ctificantur.* Heb.10.v.14. *Semel oblatus,*
„ *ut multorum peccata tolleret.* Heb.9.v.
„ 28. *Sanguis Novi testamenti, qui pro mul-*
„ *tis effunditur.* Matt.26.v.28. *Filius homi-*
„ *nis venit, ut daret animam suam, redem-*
„ *tionis pretium pro multis.* Marc.10.v.45.

Quæ hîc *pertinacia* esse potest? Si id (quod negant nostri ex verbo Dei, restrin-

restringente τὸ *Omnes*, ad fideles, electos, multos, obœdientes, &c.) *affirmant isti disputatores; ut sint singulares, locutione potiùs, quàm sensu:* excusari non possunt. Jam autẽ patuit, eodem sensu eos nobiscum affirmare: videlicet, *quoad meritum, sufficientiam, dignitatem, præstantiam*, &c. Quòd-si hæc ratio non placet; præstò est alia: videlicet, mortem Christi, ejusque dignitatem & virtutem, mandato Dei annuntiari omnibus indifferenter, Judæis & Græcis, credituris & non-credituris; sed non eâdem intentione Dei. Electis enim, ut credant: Reprobis, in testimonium adversùs ipsos. Hinc Christus: *Si non venissem, & locutus fuissem eis; peccatum non haberent. Nunc autem de peccato suo excusationem non habent.* Joh. 15. v. 22. Quid hîc *monstri* est? An non ipsemet infrà, Thes. 15. ita explicabit?

Sequitur *judicium*, à Thes. 8. vel potiùs refutatio: & primò Theologica. Ita enim dicenda est, quæ petitur ex *Thes. 8.*

verbo

verbo Dei: si *Scholastica*, ut putat ineptè, Thes. 44. dicenda est, quæ petitur ex Aristotele; cùm dicenda hæc fuerit potiùs Philosophica. Et Theologica quoque videtur esse duplex. 1. Sententiæ: 2. Argumentorũ, à Th. 10. Totum autem *judicium*, ut ait ipsemet, fit *fide simplici*, & (ut explicat mox, & Thes. 51.) *puerili*. quasi *Abrahæ* quoque talis fuisset: contra expressam admo-
„ nitionem Apostoli, 1 Cor. 14. v. 20. *Fra-*
„ *tres, ne pueri efficiamini mentibus; sed*
„ *malitiâ: mentibus verò perfecti estote*.
Neque *Abrahæ fides* est dicenda *puerilis*. Fortis enim fuit. Rom. 4. v. 19, &c.
„ At *pueri*, ut *mulieres*, (quemadmodum
„ est apud Comicum) *sunt levi sententiâ,*
„ *quæ facilè huc atq; illuc impellitur.*

Porrò, judicium de *sententiâ* disputatorum istorum, duo habet membra, seu argumenta oppugnantia. 1. *Neque principium*, inquit, *est canonica Scriptura*; *neque scientia* (pro conclusione, seu principiato. Hæc enim opponuntur; non principium & scientia: quia hæc inclu-

includit illud) *ex principiis, quæ diverſum potiùs inferunt.* Poſtulare autem hoc eſt; non demonſtrare. Nihilominùs idem hoc repetit; ſed aliis verbis: *Non vox paſtoris Chriſti; nec Spiritus Prophetici & Apoſtolici: immò nec conſentanea analogiæ fidei.* Quin & triplicat poſtulatum, in probatione Antecedentis: *quia de tali quæſtione nuſpiam agit Spiritus S. in Canone.* Quæ'nam illa quæſtio? Falſitas autem, ex ſententiâ quidem noſtrâ, jam patet: de diſputatorum ſententiâ, in ſequentibus patebit.

2. *Hæc quæſtio,* inquit Theſ. 9. ſimiliter poſtulando *τὸ ἐν ἀρχῇ, eſt ventus ille fugiendus. Eph. 4. v. 14. diverſum genus doctrinæ à recepto, demonſtratoq́ ex principiis Canonicis, proponit.* An'non differunt, *ſufficientia* & *efficacia*; ut potentia & actus? An'non *Pro* & *Propter* differunt, cùm naturâ ſuâ; tùm uſu Scripturæ? An dignũ conſideratione hoc non eſt: cùm alibi differãt ὑπὲρ & διὰ; an'ne etiam in hac materiâ, ſaltèm alicubi? *Theſ. 9.*

cubi?

cubi? ὑπὲρ certè, ut & διὰ, non eandem ubique habere significationem, infrà patebit: ideoq;, etsi alicubi ὑπὲρ sit idem quod διὰ; ut Rom.5.v.6,7,8. 2 Cor.5.v.14,15. non tamen ubiq; non
» paulò antè,v.12. *Gloriationis ὑπὲρ ἡμῶν*
» *vobis ἀφορμὴν damus: ut habeatis ad-*
» *versùs gloriantes in facie; & nō in corde.*
Materia gloriæ notatur: nec gloriatio ista fit à Corinthiis, causâ commodi ipsorum,de quibus gloriatio fit; ut fit
» *mors pro nobis*, v.14,15. & *peccatum*,v.21. nostro scilicet loco,& bono.Differunt enim: quia aliud est bonum,si quis loco alterius moriatur, ut ne ipsi moriēdum sit; aliud, si insuper commodum
» accedat: videlicet, *ut nos efficiamur ju-*
» *stitia in ipso.* ibidem. Prior significatio
» habetur Rom.5.v.7. *Vix enim pro justo*
» *quis moritur. Pro bono enim quis & au-*
» *deat mori*, h.e.ejus loco, ne ipsi sit mo-
» riendum.Ita autem *Christus est mortuus*
» *pro impiis*,v.6.& *peccatoribus nobis*: v.8.
» sed adhuc alio bono; *ut reconciliare-*
» *mur Deo*,v.10. Hinc rectè dicitur ibidem:

dem: *Reconciliati ſumus Deo, διὰ τοῦ θανάτου Filii ejus.* Mors enim, eſt medium reconciliationis, & pretium redemtionis noſtræ.

Quando autem legimus, Rom. 4. v. 25. *Chriſtum traditũ eſſe διὰ τὰ παραπτώματα noſtra; & excitatũ διὰ τὴν δικαίωσιν* (non, ut allegatur Th. 17. *δικαιοσύνην*) *ἡμῶν*: medium non ſignificat. Neque enim dicere poſſumus, traditum eſſe, ut ad peccata noſtra accedat aliqua utilitas: ſed peccata noſtra impulerunt Chriſtum, ut mortem ſubiret peccatis debitam, ceu ſtipendium. Rom. 6. v. 23. Subiit autem noſtro loco: ut ne nobis moriendum eſſet. Finis hîc eſt: non item ibi; ſed cauſa meritoria. Hoc ſenſu dicitur v. 8. *Mortuus, juſtificatus eſt à peccato.* Et: *Chriſtus, reſurgens ex mortuis, non ampliùs moritur: Mors illi non ultrà dominatur.* v. 9. *Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel.* v. 10. Id autem in noſtram cedit utilitatem, quę ab illo intẽta eſt. Nam ſic *nos quoq; mortui ſumus peccato.* v. 2. Et: *Ita & vos*

„ *existimate, vos ipsos mortuos esse pecca to*.v.11. Atq; ita patet, non eandem esse significationem horum vocabulorum ὑπὲρ & διά: sive seorsim considerentur; sive componantur inter se.

Ista distinctio multum facit, ad ædificationem fidei nostræ; & subversioné Socinianæ. Socinus enim, part.2. de Christo Servatore, c.7. & 8. contendit, *Pro* & *Propter*, in locis, in quib. *Christus* affirmatur *mortuus pro*, aut *propter peccata nostra*; ut Esa.53.v.5. 1 Cor.15.v.3.& 1 Petr.3.v.18. aut *pro nobis*; ut Heb.2.v.9. Joh.11.v.50. 1 Petr.2.v.21.&c. nihil aliud significare, quàm, causâ & occasione peccatorum; efficientem & finem: nequaquã, loco aut vice alterius; ut postulat satisfactio, quam oppugnat iniquissimé. Hactenus sententiæ, seu distinctionis, refutatio satìs inepta: sequitur argumentorum.

Ad primum, quo *negabatur in Sacris literis exstare* (ut ego interpretor, quoad sensum differenté à *Pro*, & non convenientem. Neq; enim magnoperè laboran-

randū de nominibus; nisi propter
s) *Christum propter omnes homines esse*
rtuum; respondet Thes. 10. *esse fals* Thes. 10.
n. &, cùm expeditissima foret pro-
di ratio, per ἄνευ solam: ex abun-
nti pollicetur, (*præter mentem, sens*
n, & demōstrationem) pollicetur, in-
am, ipsum *terminum:* immò *æquipol-*
tiā; quasi diversa à *mēte, sensu, & de-*
nstratione: deniq; *Concilium Nicæ-*
m. etsi promiserat demonstrationes
solo Dei verbo, post *interpretes, Græ-*
& Latinos; & ante *rationes*, quę in-
oiunt Th. 19. Verba sunt: *Nam &, si*
æcam linguam Apostolicā inspicimus;
o termino inest: &, si mentem demon-
ationemq́; sensu firmiter & infallibi-
er sequitur. Item æquipollentia haben-
r: & Ecclesia Christi, jam indè à Conci-
Nicæno, sinè ullá controversiá, in Sym-
lo sic est locuta; & Symbolū suum planè
Apostolos retulit. An autem vera di-
rit, patebit in sequentibus.
Thesi autem statim sequente, quot Thes. 11.
ccata cōmittuntur? Promiserat *Apo-*

stolicam Græcam linguam. Præmittit autem *Propheticam Ecclesiam*: quasi illa quoq; esset græcâ linguâ usa! *Consulamus*, inquit, *Ecclesiam Propheticam & Apostolicam Græcam.* Et mox abit ad *Interpretes quosdam* tantùm *latinos*; pergens: *Interpretes quidam latini non semper loquuntur πρὸς πόδα; sed, studio sententiæ evidenter & eleganter reddendæ, aliis atq; aliis verbis utuntur.* Quid hoc ad rem? Pergit: *ubi tamen, & literâ, & sensu, exstat τὸ Propter* (quasi de voce, & ejus interpretatione, & quorundã Latinorum, esset quæstio!) *causam significãs:* (quasi uspiam aliter significaret in sacris!) *ibi in græco est, vel περὶ; ut Es. 53. v. 5. Gal. 1. v. 4.* vel ὑπὲρ: *Gal. 2. v. 20. Eph. 5. v. 2. Phil. 1. v. 29.* vel ἕνεκα & διὰ; *ut Matth. 10. v. 18, 22.* Indè tamen non efficitur, ista hîc idem significare: neque probant sequẽtia, quę addit. *Nam quod dicit,* περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται, Es. 53. v. 5. id mox; *Vulneratus* διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ ἀνομίας. Ibi enim, *Propter*, significat causam finalẽ, cum subjecto, ad quod per-

tinet commodum: hic, non item; sed efficientem impulsivam, & finem cum subjecto. Dolores enim tulit nostro loco,& commodo. Impulsiva vulnerū est,peccatum nostrum expiandum.

Jam porrò demonstrandū est,idem esse,*Nos*,& *Omnes homines*. Conatur id quidem,dum pergit: *Non autem potest caput illud ad solos electos torqueri.* Quid ita? *Ait enim; omnes nos erravimus. quod Paulus explicat Rom.3.* Sed mala est cōsequentia; si maximè detur (ut dari non potest; quia ibi Paulus ex Psalmis verba affert; non ex Esajâ) Antecedēs. *Error est omnium hominum: Ergo propter omnium iniquitates servus Dei afflictus est.* Si enim salus non est omniū: neque propter omnes afflictus est. Es.53.vers.5. Non esse autem salutem omnium; docet contextus, & res ipsa. Contextus,v.11. *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos, quorum ipse iniquitates bajulaverit. Idcircò partem dabo ei pro multis,* &c. *Ipse peccatum multorum perferens, pro defectoribus in-*

tercessit. &c. v.12. Res ipsa: *Vibice ejus sanati sumus.* Loquitur utiq; Propheta de sanatis. At non omnes sunt sanati. Quid verò est etiam, quòd iste addit: *Si Israëlitas tātùm velis intelligere; quid dices de filiis regni ejiciendis?* Hoc dicam: *Israëlitas, & filios regni,* alios esse secundùm carnem, alios promissionis.
» Rom.9.v.8. *Non omnes, qui ex Israële se-*
» *cundùm carnem, sunt Israël secundùm*
» *spiritum,* v.6. *qui æstimantur in semine,*
Christo. v.8.

Thes. 12. Thesis 12. æquè non probat, *Christum mortuum esse pro omnibus omninò hominibus,* vel *propter omnes.* Habetur quidem, ἕνεκα ἐμοῦ, Marc.8.v.35. Matth. 10.v.18. & 16.v. 25. *ubi communis versio habet, Propter me:* ut παθεῖν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός, Act.9.v.16. *pro nomine.* Quòd-si enim detur hæc consequentia: *Locis allegatis ita accipitur; Ergo sic quoq; accipiēdum de morte Christi pro nobis,* &c. Quid istud ad propositū; *Christum esse mortuum universè pro omnibus?* Idem judicium esto de sequentibus.

Thesi

Thesi 13. damus, *frequentiùs exstare* τὸ διὰ *cum Accusativo: idq; in præsente materiâ exponendum, non latinâ Præpositione* PER *(etsi & sic possit) sed* PROPTER. Itaque frustrà id probatur *ex antiquitate*; & cōtra propositum: imò malè, si accommodetur ad propositum. Neque enim negamus, *rectè verti verba Cōcilii Nicæni*; (δι' ἡμᾶς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν) *Propter nos homines, & propter nostram salutem*, &c. Sed hoc negamus indè concludi posse: *Ergo propter omnes omninò homines descendit.* Non certè is vocat ad se, nisi *laborantes & oneratos.* Matth. 11. v. 28. » h.e. labores & onus suum agnoscētes. *Nec venit vocare justos; sed peccatores* » *ad resipiscentiam.* Matth. 9. v. 13. h.e. nō » justitiam falsò præsumentes; sed peccatum suum agnoscentes. Neq; etiam sequitur illud ex istis *Angeli, Luc. 2. v. 10. Gaudium omni populo.* Quid enim hoc ad singulos? Cùm ex omni populo habeat *populum suum.* Matth. 1. v. 21. » Thes. 13.

Thesi 14. diluit objectiones: qua- Thes. 14.

rum prima, de *Catachresi*, ficta est. Neque enim nos objicimus in istâ versione *catachresin*; quæ refutanda sit *communi Ecclesiæ voce, & affectione rerum, proprietateq́ue sermonis*. Hęc autē dicunt, differre: *Propter nos homines*, &, *Propter omnes ac singulos*: non quidem secundùm sufficientiam; sed juxta intentionem. Quoad enim hanc, venit & mortuus est Christus tantùm pro *Electis*: *quorum est fides*; Tit.1.v.1. Act.13.v.48. &
„ *pro quibus Christus oravit*; *non autē pro*
„ *mundo*. Ioh.17.v.9. Hanc secundam objectionē, *de solis Electis*, iste ait, *evidentiâ dictionis confutari*. Quæ verò evidentia illa? *Nam expreßè dicitur*, inquit, τὺς ἀνθρώπυς, *nos qui sumus homines*: *quorum naturam ad sanandum Christus assumsit*: *quæ fuit, non quorundā hominum*; *sed* καθόλυ *hominum, & seminis Abrahæ*. Hoc igitur vult iste: *Electos dicere, est tantùm quosdam homines dicere. At Christus non quorundam naturam tantùm assumsit*. Istud verò falsissimum est. Si enim *Abrahæ semē assumsit*:

Ergo

go quorundam tantùm; & tamen
mmunem naturam. Quare iſta malè
vicem opponuntur. Falſum namque
t, Electorum aliam eſſe naturam. Ea-
em ſpecie eſt omnium; ſed non ſin-
ılariter ſeu numero: quoniam ſic a-
a eſt Abrahæ, cujus ſemen aſſumſit;
on Caini. Hoc autem nihil impedit,
uo minùs *& Gentes humanitate com-
rehendātur*; vid. καθόλε. Verum qui-
lem eſt, aliud eſſe, *Propter nos homines*;
k aliud, *Propter ſolos Electos*. Neq; ta-
men per illud hoc *refutatur*; nedum
evidentiâ dictionis. Quòd-ſi autem, ab
aſſumtione humanitatis, ad intentio-
nem adventus licet argumentari: quâ
facilitate à communitate argumenta-
mur ad communitatem; eâdem à ſin-
gularitate ſeu ſpecialitate licet ad par-
ticularitatem. Quid enim prohibeat?
Nam & Gentes ſunt filii Abrahæ, ſe-
cundùm promiſſionem: quoniam is
eſt pater omnium credentium. Atque
ita hactenus exorbitavit: quia *extra
materiam paſſionis & mortis Chriſti*.

Thes. 15. Jam ergo, Thesi 15. ad eā venit, cum isto argumento, à proposito alienissimo: Si passio & mors Christi, est odor vitæ ad vitam, credentibus; mortis ad mortem, infidelibus; non tantùm merito, sed & efficaciâ: palàm est, hanc sententiam, Christum mortuum esse propter omnes omninò, seu in universum homines, esse ἔγγραφον. Præterquàm enim, quòd antecedens est in sacris, non de passione & morte Christi; sed de Evangelii ministris: 2 Cor. 2. v. 16. τὸ *Propter* longè in aliâ significatione accipitur, quàm controversia ferat. Hęc namq; est, de utilitate & salute ejus, pro quo Christus mortuus dicitur: ut expresśè Concilium Nicænum dicit. Argumentum verò istud est, de quovis fine & eventu efficaci, etiam hominibus pernicioso: idcóq; alienum est à proposito.

Thes. 16. Thesi 16. redit ad locum Esaj. 53. qui tantùm dicit *causam afflictionū Christi, peccata nostra*. At omniū omninò hominum peccata non dicit. Neq; hoc evin-

evincitur ex voce *Transgressorum*; etsi omnes homines tales sint: neque ex *rogatione Christi pro illis*. Ut enim nusquam legimus, *Christum propter omnes transgressores mortuũ*: ita nec, *pro omnibus illum rogâsse*. Quod autem *nõ omnes receperint fidem, pro quibus rogavit*; non exstat *Act.7.& 13.* neq; *loco Esajæ citato*. Istud autem speciem habere videtur. I. *Non rogâsset Christus pro transgressoribus; si non & propter eos esset passus.* Rogavit autem pro crucifigentibus se. Luc.23.v.34. II. *Christum mortuum esse etiam propter eos, qui perire possunt; scribit Paulus, 1 Cor.8.v.11. Rom.14.v.16.* Verùm Rogare illud, quod passionem includit, de quo Joh.17.v.9. diversum est ab eo, quod est pro crucifigentibus se. Hoc enim tantùm est, „ *ut ne peccatum hoc illis imputetur*: non ut prorsus „ nullum. Docet id ratio subjecta: „ *Nesciunt enim quid faciant*. ideóq; isti fi- „ dem nullam habent: ut habent illi, pro quibus rogatur Johan.17.v.9. Nisi hos etiam ex illorũ numero dicamus fuisse, quos

ſe, quos alloquitur Petrus Act.2. v.23. quiq; poſtea reſipiſcentes crediderũt, & ſervati ſunt.v.37,41. Neq; Paulus, citatis locis, ea ponit, ex quibus neceſſariò ſequatur, *perire poſſe Electos*. Monet enim utrobiq; Apoſtolus, quid officii ſit firmorum erga infirmos, in uſu libertatis Chriſtianæ: videlicet, quantum in ipſis eſt, non cõmittere, ut horum aliquis pereat, & profeſſo Chriſtianiſmo renuntiet. Indè verò non ſequitur, verè-fideles, & nõ ſolâ profeſſione aut nomine-tenus tales, perire poſſe, aut perituros eſſe. Quòd autem Chriſtus etiam propter hos mortuus dicitur: ex hypotheſi, vel quoad meritum tantùm, ita dicitur. Ex hypotheſi inquam. Si namq; verè credunt: pro illis efficaciter mortuus eſt. Sin oretenus tãtùm: efficaciter pro illis mortuus non eſt; quantúmvis etiam in iſtis ſufficiens foret meritum illius.

Theſ.17. Theſi 17. fruſtrà & corruptè iterum producitur locus ſuprà explicatus, *Rom.4.v.ult.* Corruptè: quoniam in il-

lo non

lo nō exſtat vox δικαιοσύνης; ſed δικαιώσεως. Fruſtrà verò: quia ex eo, quod dicitur, *Chriſtum traditum eſſe* διὰ τὰ παραπλώματα ἡμῶν, non ſequitur, mortuum eſſe illo fine, ut omnium hominum peccata expiaret. Secùs, omnes ſalvi forent. Ipſe autem contextus docet, loqui Apoſtolum de credentibus, ſive *Judæis*, ſive *Gentibus*. Ait enim: *Non eſt autem ſcriptum propter* »
Abrahamum ſolum, fidem illi imputatam »
fuiſſe ad juſtitiam; v.23. *ſed etiam pro*= »
pter nos, quibus futurum eſt ut impute= »
tur, credentibus in eum, qui excitavit »
Dominum Jeſum ex mortuis: v.24. *qui* »
traditus eſt propter delicta noſtra, v.25. »
vid. credentium. Quo in loco obſervandum, τὸ *Propter* non eandem tenere ſignificationem. Verſu enim 24. finem, commodumq; noſtrum exprimit: verſu 25. etiã cauſam meritoriam. Utilitas Scripturæ illius, non tantùm pertinet ad Abrahamum; ſed etiam ad nos credituros. Sic utilitas quoque mortis Chriſti, propter delicta noſtra

factæ,

factæ, redit ad nos quidem; at non ad peccata nostra. Quia tamen hæc impulerunt Christum, ad subeundam mortem; propter ea dicitur mortuus. Utilitas autem illa, non semper concurrit cum hac impulsivâ meritoriâ.

Thes.18. Non concurrit certè in singulis locis, Thesi 18. allegatis: non *Gen.8.v.21. & 22.v.12. Rom.14.v.16. Math.24.v.9. & 13.v.21. & 14.v.3. & 15.v.3. & 17.v.20.* tametsi *1 Johan.2.v.2. 2 Cor.5.v.14,15. 1 Cor.8.v.11.*

Quorsum autem addit: *Erubescere debet, si quis sciolus velit ultra interpretes Scripturarum sapere, & grammaticam ferulam pati?* Quis enim utrà vult sapere? Quid autē hoc est aliud, quàm exordio suo, quo sola Scriptura pro judicii normâ ponebatur, contradicere? Súntne *interpretes* ipsa Scriptura? Eadem est ratio *Grammaticæ*. Neque tamen statim *grammaticam ferulam* meretur, qui alicubi discedit ab *interpretibus Græcis* in Veteri Testamento. Gen.22. v.12. interpres habet,

uti

uti docet allegatio: *Non pepercisti filio tuo δι' ἐμὲ, propter me.* Númne propterea ferulam grammaticam meriti sunt Tremellius & Junius, quòd ad proprietatem hebræam verterũt; *Cùm* „ *non subtraxeris filium tuum à me?* Feru- „ lam potiùs meritus est Libavius: qui, more *illorum legis doctorum, non intellexisse videtur, neq; quid diceret, neq; de quibus.* 1 Tim.1.v.7. Proposuit is agere *de significatione termini Propter, occasione* distinctionis τοῦ *Pro* & *Propter, in materiâ de morte Christi, pro omnibus ac singulis hominibus, sed non propter omnes.* Quid verò ille hactenus? Dimisso proposito, occasionem incessit. Quòd-si propositi tenax esse voluisset, ut debebat: exponendum ipsi fuisset, cùm universè, quot & quæ essent ejus termini significationes: tum demùm, ratione occasionis, in hac materiâ non differre *Propter* & *Pro*; solutis argumentis duobus, pro differentiâ allatis. Sed in significationum expositione fortassis versari noluit: quia vidit ener-

enervari contradictionem differentiæ. Si namq; plures sunt istius *termini Propter significationes*: (uti est demonstratũ; & fatetur ipse Thesi 38. quámvis ibi malè) quid adversùs occasionem facit, demonstrâsse, aliquando idem significare, quod Pro? Si enim alibi nõ perpetuò idem significat: quid faciet ad refutationẽ distinctionis in hac materiâ? Non idem autẽ alibi significare, ipsemet fatetur quoq; Thesi 19. quâ *rationes* orditur. Hactenus enim videtur pugnâsse expressis verbis: nunc deinceps agere consequentiis. Sed videtur tantúm. Quid enim aliud attulit, contra argumentum aut distinctionem istam; quàm consequẽtias, quas vidimus, ineptas?

Thes. 19.

Audiamus verò *rationes*: quas decem affert. Quorsum? An ut cœptam telam de primo argumento absolvat? Nihil minús. *Prima* statim est contra distinctionem τοῦ *Pro* & *Propter*, in hac materiâ. Inquit enim: *Primò inanis λεπτολογία, & frivola argutia est, discernere*

nere hîc inter πρὸ *seu* περὶ, ὑπὲρ, *pro*, *&* διὰ, *propter*. Quomodo autem probat hoc; quod nos tamen verissimum esse fatemur? Alio postulato: *Quia, pro quibus mortuus est Christus, propter eos etiam est mortuus.* Disputatores verò illi, adversùs quos agit, totidem id verbis negant, seque à communi istâ sententiâ sejungũt: vel hoc argumento, quod fuit anticipatum; quia non semper idem alibi significent termini isti. Verba sunt objectionis negatæ: *Neq; enim, sicut canis percutitur pro Leone, aut Simo pro Davo molit:* (Nota hîc differentiam aliam. In priore enim exemplo abesse potest etiam intentio, vel ejus delusio; quemadmodũ si pro noxa, quam intendimus, commodum afferamus, cõtra intẽtionem nostram: in altero non item) *ita Christus pro peccatoribus est mortuus.* Ficta autẽ est objectio in Disputatores: quorum ea distinctionis mens non est, quoad efficaciam; nisi demonstretur. Nihilominùs falsa quoq; est negatio illius; & proba-

tio inepta. Negatio quidem: An'non enim *ita Christus mortuus est pro peccatoribus*, h.e. loco & vice illorũ; *ut Canis percutitur pro Leone, aut Simo pro Davo molit*, h.e. loco & cõmodo Leonis aut Davi? Argumenta verò probationis sunt. I. *Si enim non simul propter eos est mortuus: quomodo possunt infideles accusari, & rei peragi mortis corporis & sanguinis Christi?* Hebr.2.3.cap.10.v.28,29. (ubi nihil ejusmodi exstat) *sicut indigni in Eucharistiâ. 1 Cor.11.v.29.* Hi enim rei peraguntur: quia, ut ibid.v.27.
» expreſsè dicitur, *indignè manducant*
» *panem, & bibunt calicem Domini; nõ di-*
» *judicando, esse corpus Domini*.v.29. Ad
» Hebręos autem, 10.v.29. alia reatus af-
» fertur causa; *Conculcatio Filii Dei, &*
» *sanguinis testamenti profanatio*. Heb.6.
» v.6. *Apostasiâ crucifigere sibi rursus Fi-*
» *lium Dei*.&c. II. Sic, quòd *eadem do-*
» *ctrina & ministerium est odor in iis, qui*
» *salvi fiunt, & qui intereunt*: 2 Cor.2.
» v.15. causa est, quia *Christum offert, positũ in casum & resurrectionẽ multorum.*

Luc.2.

Luc.2.v.34. III. *Periculi satìs est, spreviſſe Christũ cũ suâ doctrinâ:* ob neglectum mandatũ Dei & Christi. IV. Hoc ipso quoq; *satìs irritũ faciunt Dei testamentum.* Gen.17.v.14. Heb.10.v.28.&c.

Priùs autem, quàm alteram rationem subjiciat; Thesi 20. ad *Patres* abit, & alia Scripturæ loca. De illis inquit: quòd *in Symbolo Nicæno, τὸ διὰ interpretati sint* PROPTER: *at in Symbolo Athanasii,* PRO. Sed quid hoc ad Scripturam promissam? Hanc ergo dum addit, ex Actor.12.v.5. & Esajæ 30.v.12, 13. ipsemet subjungit: *Sæpè sensus est idem; licèt non semper.* Quod est dicere; vanam esse argumentationem istam: *Alicubi τὸ Pro & Propter idem significant; Ergo & hîc.* Quis enim non rideat illam? Materia autem subjecta facit differentiam: uti docent loca allegata. *Orare enim pro Petro,* non contra illum, Actor.12.vers.5. finem notat, eumque Petro utilem. At, *Orare propter aliquem,* utroque modo fieri potest; tàm pro, quàm contra aliquem. Thes.20.

Christus *propter* imminentes hostes oravit: Matth.26.v.39. sed non *pro* eis; nisi alibi. Differentia significationis est, non ab ipso termino *Pro*; sed ab oratione, in quâ τὸ *Pro.* aut *Propter*, usurpatur. Sic in cæteris quoque, de convenientiâ: quæ non est Esajæ 30. v.12.& 13. Falsum enim est, *in Græco esse utrobiq; διὰ τοῦτο, ad exprimendum Pro,*
„ *& Propter.* Ita namque legimus: *Iccir-*
„ *cò sic ait sanctus ille; pro eo, quòd repro-*
„ *bastis* &c. v.12. *iccircò erit vobis iniqui-*
„ *tas.* v.13. Nihilominùs τὸ *Pro* & *Propter* ibi idem significat: sed meritoriam; non finalem causam: ut *Matth.20.v.28. Joh.6.v.51.* Neq; tamen meritoria causa rectè dicitur *permutatio*: quia hæc finem includit. Neq; 2 Corinth.12.v.5. exstat περὶ; sed ὑπέρ. Quid denique aliud, quàm sufficientiam, significat, quando ipse inquit: *Qui pro omnibus solvit lytron; is etiam propter omnes: ut omnes sint liberi; si liberationis conditiones subire velint.*

Eadem sufficientia habetur etiam

Thesi

Thesi 21. quâ secunda profertur ratio; sed pro singulariũ universitate: quam neq; nos, quoad sufficientiam, negamus. *Gentes*, inquit, & *nationes*, *(omnes in Abrahamo benedicendæ, Genes. 12. v. 3. & 18. v. 18. & 22. v. 18.) quæ non obædiunt Evangelio, meriti mortis potentiâ comprehenduntur: & poterant salvari; nisi suâ culpâ, ab antecedente Dei voluntate, ad consequentis damnatoriam recidissent.* Quæstio autem est; utrùm proposuerit Deus, istarum quoque causâ & bono Filium dare? non item est de potentiâ, utrinq; à nobis confessâ. *Thes. 21.*

Vocatio universalis per Evangelium, & dilectio in dilecto, à quibus tertia & quarta petitur ratio, id non arguunt: nisi dicantur esse universales simpliciter, & in omnibus singularibus; contra evidentiam omnium temporum. cùm potiùs sint ratione conditionum, nationum, ætatum, sexuum, &c. Ad *nuptias, & cœnam magnam*, non lego *vocari omnes*: sed ibi quidẽ, *bonos & malos, quos invenerunt ministri*; Matth. 22. *Thes. 22.*

v.10.hîc verò,*multos*.Luc.14.v.16.Neq; in locis, *Luc.19.v.44.Matt.23.v.32.Act.17.v.30.& cap.13.& 18.Rom.9.v.30.& 10.v.3.& 11.v.2,20.&c.*invenio universalitatem istam,de quâ quæstio est.

*Matt.11.v.28.*manifesta est restrictio, *ad laborãtes & fatigatos:* uti Esaj.55.v.1. *ad sitiẽtes.* Quòd autem vocãtur etiam illi,qui non veniunt: indè nõ efficitur, *Cœnam esse paratam eorũ causâ & bono, quo excidunt suo vitio.* Hinc namque efficeretur, Deum eventus rerum non nôsse.Nullius siquidem sapiẽtis est intentio,*parare cœnã nõ-venturis.* Quòd ergo dicitur *Homo iste parâsse cœnã non-venturis:* accidit præter intentionem ipsius;quæ erat,*parare venturis*, ex spe ad primam invitationẽ conceptâ. Hęc enim causa erat repetitæ vocationis sub horã cœnæ;quâ illi se excusare incipiunt.Luc.14.v.18. At Deũ excidere spe suâ,tanquam eventus ignarum,indignũ ipso foret. Nihilominùs ad captum nostrum,talis nonnunquã effingitur in parabolis; quarum modus &

finis excedēdus minimè est. Exceditur autē, si indè concludamus simpliciter; *Deum excidere spe suâ,* quomodo *homo iste excidit:* & non potiùs aliquo alio modo; vid. ut rectè hîc additur, *quoad voluntatem antecedentem:* at non eam, cui resisti non potest. Rom. 9. v. 19.

Quòd aūt *Deus, in cōsilio salutis, neminē voluerit pteritū, antecedēte voluntate:* colligi nō potest ex *Joël. 2. 32. Rom. 10. v. 13. Act. 2. v. 21.* neq; ex *cōditione Deut. 11. v. 26, 27, 28. & cap. 28. & cap. 30. v. 15. & seq.* Contrarium enim, ut olim erat in præteritis gētibus: Act. 17. v. 30. ita hodieq; in iis, quib. Evangelium non annuntiatur. Quòd-si Deus etiam hos vellet salvos: faceret utiq; eis annuntiari salutis viam; quæ omnibus ac singulis in se sufficit.

Neq; *dilectio in dilecto* est *universalis*; sed sufficientia. *Joh. 3. v. 16.* Quòd-si universalis esset dilectio; etiam non-crediturorum esset: quemadmodum *typus exaltati serpentis,* etiam non-percussorum erat. Serpens autē ipse, pro- Thes. 23.

pter percussos, aut percutiendos, tantùm erat erectus. Nō verò omnes percutiebantur. Qui tamen percussi non aspiciebant; iis nihil proderat erectus serpens. Neq; horum causâ rectè dicitur erectus; sed sanatorū tantùm. Salutis quippe causâ fuit erectus. Quarè & aspectus eò fuit ordinatus: nō item non-aspectus. Eadem est ratio *Christi:* quē iste *antitypum typi illius* dicit, absq; exemplo ullius probati authoris. Datus est Christus à Deo, fidei causâ; & non incredulitatis. Joh.3.v.16. Quid enim absurdius est; quàm putare, datū esse Christum, ut etiam nō-credentes salvi fiant? Quòd autem quæritur; *Cur unam imaginis suæ particulam diligeret, & restitutam vellet Deus; nō totam: cùm solâ gratiâ & misericordiâ hoc opus constet?* id mala hac nititur consequentiâ: *Gratiâ & misericordiâ solâ cōstat salutis opus; Ergo omnes salvi fiūt & fient.* Causa verò differentię, quòd aliquibus datur gratia resipiscentiæ & fidei, aliis non item; est beneplacitum Dei. Matth.11.

v.26.

v.26. Quòd etiam *pro toto populo offerat, & intercedat*: id etsi locis ad marginem notatis nõ exstet, *Heb.7. v.27. & 9. v.13, 14. & 5. v.1, 2.* nõ tamen intelligendũ est de mundo, pro quo ipse negat se orare, Joh.17.v.9. sed pro datis sibi à Patre, & crediturìs. v.20.

Quinta ratio, Thesi 24. ex *proposito Dei in Filio*, eandem *universalitatem urget*, quæ non est controversa; vid. *Judæorum & Gentium.* De singularibus autem istorum generum omnibus, ibi ne verbum quidem est. Omnes enim loci allegati restringuntur ad fidem, *Rom.3.v.25. & 10.v.8.* & ad invocationem. *v.12.* Demonstretur autem, si potest; *Christum, longè liberaliore beneficio, à maledicto Legis & chirographo, quod contra omnes homines erat, non tantùm Electos liberâsse.* Aliud enim est, *liberatio*; aliud, *oblatio ejus.* Hæc enim sufficientiam tantùm notat: illa verò, efficaciam. Sed & hoc demonstrandum est; *Propositum, 2 Tim.1. v.9.* eodem modo accipi, quo *Rom.3. v.25.* Hoc namq; Thes. 24.

propositumChristi,factum est in tempore: illud verò,ante tempora secularia. Verba sunt,Rom.3.vers.25. *Quem* (Christum) *proposuit Deus propitiatorium,per fidẽ in ipsius sanguine.* An'nón verò illo modo, quo dans Filium declaravit dilectionem mundi? Joh. 3. v.16. Temporis expressa mentio fit, Gal. 4. v. 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum,&c.ut Legi subjectos redimeret; quò adoptionem filiorum Dei reciperemus.* At 2 Tim. 1. distinctè habentur ambo. *Deus* (inquit) *servat nos, & vocat vocatione sanctâ:* (h.e.interiore; quâ non omnes vocat, qui extrinsecùs vocantur per prædicationem Evangelii) *non secundùm opera,*(facta,seu prævisa)*sed secundùm proprium propositum, & gratiam,* (quam? *justificantem'ne*, ut iste ait, *per fidem in Christum?* Nequaquam : hæc enim collata est in tempore demúm. sed) *datam nobis in Christo Jesu, ante tempora secularia.* h.e.præordinatã,secundùm electionẽ ab æterno factam.

Vel hoc-ipſo loco videmus; dona ſalvandorum propria, fidem, vocationem interiorem, &c. conferri merâ Dei gratiâ, & electione ab æterno factâ. Hinc etiam dicitur Eph. 1. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, benedicens nobis in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto.* (hactenus ea, quæ in tempore conferuntur: ſequuntur ab æterno facta.) *Sicut elegit nos in ipſo, ante cõſtitutionem mundi:* v. 4. *præfiniens nos in filiorum adoptionem, per Jeſum Chriſtum, in ſe-ipſum, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ.* v. 5. Iſtud autem propoſitum in utramque partem ſeſe extendere, patet ex Rom. 9. v. 11, 12, 13. & Matth. 11. v. 25, 26. Abeat jam, & clamet, *explicationem hanc eſſe Prædeſtinatianorum*, & non verbi Dei puri puti.

Neque enim in contrarium obſtat *voluntas Dei*, 1 Tim. 2. v. 4. Joh. 6. verſ. 40, &c. quam Theſi 25. *huc referre* Theſ. 25. vult, fruſtrà: niſi demonſtret, hanc ſolam ejus, & nullam aliam notionẽ eſſe; ideo-

ideoque omni Dei voluntati resisti, eamq; irritam fieri posse: cōtrà quàm legimus Rom.9.v.19. Non satìs est, dicere; *certam, limitatam, & definitam determinatamq; voluntatem Dei, descriptionem habere propositi in Filio, per solam fidem, gratìs, sinè operibus legis,* (ceu causâ meritoriâ. secùs, simpliciter dictum, falsum foret) *salutem conferendi,*
» *citra prosopolepsiam: ut, quicunq; credit,*
» *salvus fiat: ad quod per Evangelium vocantur,* non omnes ac singuli actu; sed tantùm quicunq; vocantur, sive Judæi sint, sive Græci: (neque enim *phantasia est,* distinctio *generum* & *singulorum:* sed id, quod phantasiâ suâ cōcipit Libavius, ac nobis falsò affingit; quasi dicàmus, *genera tantùm vocari, & nō sin-*
» *gulos ullos*) *qui verò non credit, conde-*
» *mnetur.* Marc.16.v.16. *idq; vitio suo; quia nolit obædire Evangelio* sibi prędicato. Hujus enim culpam Deo velle imputare, foret *in Scholis* fortasse, *Accidentis & Non-causæ elenchos committere.* Similiter namq; & nos fatemur; *Deum*
nolle

 31
nolle quemquã perire eorum, quos invitat verbo ad pœnitentiam: (invitare ſiquidem ita, eſt velle ſalvari) eſſe bonum univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Pſal. 145. v. 9.

Hæc autem demonſtranda relinquuntur Libavio: I. *A' voluntate hac pendére & cætera, ſecundùm decretum, quæ recitantur Rom. 8. v. 28.* II. *Ibidem dici Electos, cum reſpectu eventus ſalutaris: non quòd cæteri, qui per Evangelium vocati non obœdiunt, communi aliquo modo,* (h.e. externo, gravi & ſevero: aliâs quomodo puniret Deus inobœdientes? quâ ratione cadit explicatio ſequens, quam de ſuo affingit calumniator blaſphemus; nempe) *confusè vel temerè, ut agyrta turbam convocat, ſive emat quid, ſive nihil, vocentur.* III. *Hinc illos Electos dici, diligentesq́ Dei.* IV. *Illud, quod Pſal. 145. v. 8. & 9.* *ſcribitur,* eſſe, nedum *affectuoſum eſſe, contra rigorem Prædeſtinatianorum,* &c. Quæ enim ſunt illa *cætera?* Si juſtificationem & glorificationem intelligit: ſeque-

ſequetur, omnes vocatos externè per verbum ſalvari. Quicunque enim ſecundùm propoſitū vocantur, Rom.8. v.28. ſalvi fiunt. Quia verò non omnes ſalvi fiunt, qui per verbum extrinſecùs vocantur: manifeſtum hinc eſt, neque omnes ſecundùm propoſitum, ſive efficaciter, vocari. Et vocãtur tamen. Eſt itaque hæc vocatio communis, & in ſe eadem. Hac vocantur, quicunque vocantur: & qui ſalvi fiunt, & qui nō fiunt. Sed præter hanc alia eſt, quæ dicitur » *ſecundùm propoſitum*, & *ſancta*. Quòd ſi enim non eſſet alia: cur ergo ad differentiam iſta adjicerentur, Rom.8.v.28. 2 Tim.1.verſ.9? Non igitur debent illa confundi: uti nec diſtinctæ notiones, Propoſiti electionis & vocationis, Voluntatisque Dei.

Sexta ratio poſtulat hanc conſe-
Theſ.26. quentiam: *Si Chriſtus non mortuus eſſet propter omnes: abbreviata eſſet manus Domini, ut non poſſet ſalvare; nec lytron ſufficiens fuiſſet.* Cedò enim promiſſionem! Hæc enim non-impleta, ar-

gueret istam abbreviationem, de quâ *Esaj.59.v.1. & 50. v.2.* Causa verò, cur Christus non propter omnes ac singulos sit mortuus, non est Dei *non-potentia*; sed noluntas. Neque sufficientia tollitur, efficaciâ negatâ: quemadmodum nec de cibis non assumtis, impotētia alendi rectè infertur. Quòd-si omnes crederent; λύτρον omnibus *sufficeret*. Quòd autem non omnes redimuntur actu, salutemq; ac vitam æternam consequuntur: culpâ fit non-credentium; nullâ Dei: tametsi iste non omnibus det fidem; uti etiam non dat, nisi electis. Hi autem sic dicũtur, propter Deum eligentem; Eph.1.v.4. & non, uti hic somniat, *propter obœdientiam suam*. alioquin eligentes ipsi dicendi essent, ut diligentes; & non electi.

Eodem vitio laborat & septima ratio: *Gratia non exuberaret delictum*; si Christus mortuus non esset propter omnes. Conatur quidem consequentiam probare; sed elencho alio, eoque *Thes.27.*

tali:

tali: *Gratia non exuberat in singulorum universalitate; Ergo prorsus non exuberat.* Quam enim vim aliam probatio consequentiæ habere posset? dum ait: *Quia in uno quidem omnes mortui essent: at gratia & efficacia mortis Christi, tantùm propter aliquos facta, longè foret contractior. quod est contra Pauli disputationem, Rom. 5.* Num auctior non est gratia; si per illam multa peccata tolluntur: cùm tamen propagatio peccati fuerit unius tantùm, vid. Adæ? Verba sunt Apostoli: *Ipsum quidem judicium ex uno, in condemnationem: at gratia donum ex multis delictis, in justificationem.* v. 16. *Si namque, unius delicto, mors regnavit, per illum unum: multò magis, qui abundantiam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, in vitâ regnabunt, per unum Jesum Christum.* v. 17. Non opus est hîc, ut iste somniat, distinctione *sufficientiæ & efficaciæ.* Manifestũ enim est, Apostolum disertè agere de efficaciâ tantùm. Quòd-si autem, ut ait, *stropha Calvinistica est, distinguere*, ubi opus

opus est, inter *sufficienter & efficienter: præsumtionis humanæ commentum est*, quod subjicit: *Omninò & efficienter, seu efficaciâ, mors Christi omnibus conferret; nisi incredulitas obstaret.* Item: *Semen verbi ubiq; bene proficeret; si ager esset bene dispositus.* Quid enim hæc differunt à distinctione sufficientiæ & efficaciæ? Idem semen sufficeret omnibus terris, si bonę essent, ad fructus ferendos. Quòd igitur idem fructus nõ fert; terrę vitio adscribendum est. Neque hoc solùm: sed etiam, quòd in terram bonam præparatamq; satum non est. *Stropha* itaq; *Libaviana est ἄχαφος*: nostros docere, sufficienter quidem gratiam esse abundantiorem; sed non efficienter. Demonstret id ex nostris. Nî fecerit: eâdem facilitate à nobis rejicietur, quâ ab ipso affertur.

Aliud postulatũ habet ratio octâva: *Thes. 28.* *Finem adventus Christi in mundum, ab omnibus peccatoribus, transferri ad paucos.* Nam, quòd *illud* ait *repugnare multis Scripturæ locis*: eam vim habet, fieri

id non debere. Verùm loca allegata, 1 Tim.1.v.15.& 4.v.10. Matth.9.verſ.13. Marc.2.v.17. id non docent : ſed hóc tantùm ; *Chriſtum eſſe Salvatorem omnium hominum, maximè fideliũ:* etiam *juxta præcedentia dicta generalia.* Atqui & nos iſtud fatemur, & citra ſophiſticam: quæ eſt, ſi negetur, *vocem σωτῆρ, apud Paulum, referendam eſſe,* reſpectivè, (hæc enim eſt ſententia noſtra) tam *ad providentiam*, quàm ſalutem æternam; ſive ad beneficia communia, & Electorum propria. Manifeſtè autem falſum nobis tribuit; quaſi *Deum* negaremus *conferre ſalutẽ æternam omnibus cõſtanter credentibus.* Qui enim utramque ſignificationẽ vocis illius urgent; an non iſtam quoq; ponunt?

Th.§.29. Nona ratio poſtulat iſta. I. *Doctrinam hanc facere ad dubitationem de Dei voluntate miſericorde, & beneficâ in & ſuper omnes homines.* II. *Miſericordiam Dei eſſe univerſalem, haberi apud Paulum, Rom.11.v.* (non 22.ſed) 32. ubi manifeſtè loquitur de Judæis & Gentibus;

bus; & non de illorum singulis omnibus. v. 11. & seq. III. *Eandem doctrinam frangere consolationem in tentationibus; atq; ita Spiritui S. consolatori obsistere.* IV. *Inducere homines in desperatione, & prohibitas cogitationes de scrutatione profundorum & arcanorum Dei, quæq; altiora sunt viribus humanis, & Angelis quoq; ignota.* V. *Disputationes nostras esse serpentinas, sophisticas, ac spinosas.* VI. *Obtinere apud seculū-sapientes, & simplices:* quasi *cōtra. 1 Cor. 1. v. 20. ubi tamen simplices & infirmi opponuntur sapientibus seculi.* VII. *Ad hæresin convincendum satis esse, damnari à Concilio etiam nō generali.* Quasi non eâdē ratione, ipsemet sic efficeretur hęreticus, ex Concilio saltèm Tridentino; si non jam olim ex tot Patrum sententiâ contra Pelagianos.

Decima & ultima ratio (neq; enim alią numerantur: etsi multa addantur, usq; ad secundum Adversariorum argumentū; quo consilio, incertum) obscura est. *Non consentit,* inquit, *cum for-* *Thes. 30.*

mulâ judicii ultimi. Neq; enim intelligitur,quid nõ consentiat: nisi fortè ex sequentibus mox verbis; *in quo condemnationis causæ ponũtur,non istæ Calvinianæ,ubi judex dicat impiis: Creavi vos ad interitum & æternum repudium; (quod tamen ipsis esset non molestum; sed secundùm naturam.* Cur?) *in massâ perditâ reliqui; & non sum mortuus propter vos: Ite in ignem vobis (qui tamen non hominibus, sed diabolis primùm paratus. Matt.25.v.41.* Ad quid autẽ distinctio ista additur?) *ab initio destinatum, &c. Sed hæ: Joh.3.v.18. Qui credit in Filium, non judicatur: qui non credit, jam judicatus est; nempe verbo,quod etiam est judicaturum ultimo die. Joh.12.v.48. Item Matth.24.v.48. & 25.v.26, 41. operibus iniquitatis.* Quòd-si ergo calumniator dici nolit: ostendat,quis nostrûm unquã dixerit, *Condemnationis* aut alias esse causas meritorias, quàm peccatũ; aut illas esse,quas ipse imputat. Meritorias causas dixi.Hæ namq; *formulam judicii* decent. Cùm autẽ *Calvinianæ,*
quas

quas iste dicit, non sint meritoriæ: cur eas afferret judex in judicio? Indè tamen non sequitur, nō alias quoq; causas interitus esse, quā meritorias. An'non *judex*, qui, uti hic malè pergit, *respondet*(pro, rependet) *cuiq; juxta opera; Apoc.20.v.13.* & *verbū judicaturū*; & *non-notitia, quâ novit tantùm oves, & œconomiā corporis mystici Electorum*, (id quod jam est Prędestinatianū) est causa aliqua judicii? *Deus statuit, juxta ver-* »
bū Judæis & Gentibus prædicatū, judica- »
re orbem habitabilē, per virum, quē præ- »
stituit. Act.17.v.31. Joh.12.v.48. Porrò »
aliud est, dicere τὸ ὅτι; aliud, τὸ διότι.
Utrūq; Christus exprimit, Joh.3.v.18.
Qui credit in Filiū, non judicatur: qui nō »
credit, jam judicatus est; quia nō credidit »
in nomē unigeniti Filii Dei. Positâ causâ »
meritoriâ, necessariò ponetur quoq; judiciū, denuntiatū transgressoribus. ...q;, ob certitudinē, pro jā facto ha...ur. At hæc causa meritoria judicii, ...i duntaxat habet apud eos, quibus ...dicatū est Evangeliū: quemadmo-

dum Legis transgressio apud eos tan-
tum,quibus lex data est. Est autẽ etiam
lex non-scripta. De utrâq; ait Paulus,
» Rom.2.v.12. *Quicunq; sinè lege peccave-*
» *runt, sinè lege peribunt: quicunque in*
» *lege peccarunt, per legem judicabun-*
» *tur; in die, quâ judicabit Deus occul-*
» *ta hominum.* v.16. Nihilominùs verum
quoque est, sive de τῷ ὅτι, sive de διότι,
» quod legimus Apoc.20.v.25. *Siquis in-*
» *ventus nõ est in libro vitæ scripto,(in cœ-*
» *lis*; Luc. 10.v.20.) *conjectus est in stagnũ*
» *ignis.* Ut ergo nihil peccatur,si quis di-
cat ideò conjectum, quia scriptus non
fuerit in libro vitæ: ita neq; falsa causa
erit, quòd Christus pro eo mortuus
non sit;quòd Deus fidẽ illi nõ dederit.
etsi nõ dicatur causa meritoria,quæ est
peccatũ; ut alibi,præsertim in judicio:
de quo iste addit; *Non est consentaneũ,*
justum judicẽ falsam causam producturum.
Sed quomodo id cohæret, quòd
subjicit? *Præsertim cũ protestetur Matth.*
12.v.50.eum esse suum fratrem, sororem,
matrem; qui faciat voluntatẽ Patris cœ-
lestis:

lestis: quæ qualis sit, exstat Joh.6.v.40. Neq; enim hîc agitur de ultimo judicio. Quomodo etiã, uti porrò infert, *indè cõsequitur, Reos æterni judicii esse, nõ illos Calvinianos, (τὸ ὅτι) sed volũtatis divinæ* (tantum) *pertinaces transgressores & contemtores.* Quâ etiã consequentiâ *notat, dum incredulitate suâ excidũtur, & filii regni ejiciuntur, cæteriq; impii reprobantur; includi causam, quòd nõ crediderint, Christũ etiã propter se esse mortuũ, ut per eũ salvi essẽt. unde pateat quæstionis inanitas?* Est quidẽ hæc causa reprobationis incredulitati inclusa: sed indè tamẽ non sequitur, Christi intentionẽ fuisse, mori pro ipsis, aut propter ipsos; uti propter oves, & corpus mysticũ electorũ. Atq; hactenus rationes.

Quo autẽ consilio addantur cætera, usq; ad secundi argumẽti refutationẽ; ne verbo quidẽ monetur, fortè ad faciliùs argumentũ illud refutandũ. An autẽ & quid eò cõferant, quę monet *de causâ, cur beneficii mortis Christi plurimi nõ fiãt participes, in S. literis variè propo-*

sitâ; fortasse in expẽsior patebit. certè in collatione cum argmẽto secundo; quod erat: *Si Christus propter omnes esset mortuus; omnes salvi forẽt. Hoc autẽ falsum est: Ergo & illud.* Verùm nulla sequetur collatio. An quia ridicula foret? Quæ enim causa valeet adversùs propositũ Dei? Sex autẽ aferũtur Th. 31. ad probandã *varietatem propositionis, quasi unius causæ:* quæ et culpa hominis, & incredulitas. Th. 33. Cui tamẽ alias quoq; hic admiscet: putà, indurationẽ divinã; itemq; Diaboli. Th. 34.

Verùm sex illas audiamus; quæ sunt: 1. *Incredulitas.* 2. *Contẽtus.* 3. *Induratio cordis; propria, & divina.* 4. *Noluntas obœdiendi Evangelio.* 5. *Repulsio oblatæ gratiæ.* 6. *Contradictio, blasphematio, & occisio ministrorũ.* At in expositione primæ statim prodit vanitatẽ, cõfundens *propositũ Dei, seu vocationẽ juxta propositũ,* cum vocatione externâ. Ista enim tãtùm per incredulitatẽ irrita fieri potest: uti docent loca allegata, Rom. 11. v. 20. Hebr. 3. v. 19. & 4. v. 6. At locus

Rom.

Rom.3.v.3. aliud docet; ut ostendunt verba illius, quæ sunt: *Quòd-si non cre-* » *diderunt aliqui; num incredulitas illo-* » *rum fidem Dei inanem reddet:* vid. ut » non præstet promissa populo suo? *Ab-* » *sit.* Quâ de causâ etiam Israëlem se- » cundum carnem, & promissionem, distinguit Paulus, Roman.9.v.8. hoc-ipso; quòd *fieri non possit, ut, posterioris* » *respectu, excidat verbum promissionis.* » v.7. Hinc *præscitam Dei plebem* discer- » nit quoque à non-præscitâ: ut in absurdis ponat, *illam repelli.* Rom.11.v.1, » 2. propositoque *exemplo Eliæ*, ac *re-* » *sponso Dei*, distinguentis *reliquias* fide- » lium ab infidelibus, v.3,4. concludit v.5. in hunc modum: *Sic ergo & in hoc* » *præsenti tẽpore, reliquiæ secũdùm electio-* » *nem gratiæ, salvæ factæ sunt.* Et v.7. *Quid* » *ergo? quod inquirit Israël, hoc nõ est con-* » *secutus. At electio consecuta est: cæteri* » *verò obduruerunt.* &c. »

In cæteris quoq; causis, præsupponitur auditus verbi divini. exceptâ *in-duratione, quâ Deus indurat:* in quâ non

ſemper auditus præſupponitur ; nedum *ncredulitas , quæ pœnam indurationis mereatur.* Quando Deus prædicit Moſi Pharaonis indurationem, Exod.4.v.21. non prædicit ut ortam à Pharaone ; ſed ut à ſe profectam, di-
» cens : *Ego obſirmabo cor ejus, ut nolit di-*
» *mittere populum meum* ; quámvis tot viſis ſignis. Cauſam finalem exponit cap.7. v.6. *multiplicationem ſignorum*; quæ oritura ſit ex obduratione illâ. Quia tamen concurrit, cũ iſtâ induratione divinâ, voluntas ipſiusmet Pharaonis: (neq; enim invitum; ſed volentem naturâ, indurat Deus) non eſt mirum, indurationẽ illam Pharaoni quoque adſcribi; ſed poſtea demũ, cap.8. v.15,32. quemadmodum & aliis impiis, *Jer.5.v.3.& 19.v.15.* & Satanæ, *2 Cor.4. v.3,4.* Neq; enim, quia prævidit Deus Pharaonis voluntatem, (qualis omniũ quoq; aliorum eſt, der naturam) ideò prædixit, ut Exod.3.v.19. & *indurationem iſtam aliâ* punivit *conſequente* ; niſi ut locus eſſet pœnæ graviſſimę, & gloriæ

riæ ſuę. Ubi enim cauſa iſta indurationis divinæ redditur: ſolius certè gloriæ Dei fit mentio. Quare nec Paulus aliam cauſam affert, Roman. 9. v. 17. ſed eandem, ex Exod. 9. verſ. 16. *Ad hoc-ipſum*, inquit Deus, *excitavi te* (Pharaonem,) *ut oſtendam in te virtutem meam; & ut annuntietur nomen meũ in universâ terrâ.* Quid eſt, *excitare ad hoc-ipſum*, aut *ſervare*; quàm talem, & non alium? alioqui fini propoſito non eſſet locus. Et quia non fuiſſet quoq; fini illi locus; niſi mare ingreſſus eſſet Pharao cum ſuo exercitu: etiam ad hoc, quod per ſe peccatum non erat, cor Aegyptiorum obfirmavit Deus. Exod. 14. v. 4, 8, 17. Unde etiam ſcivit Deus, Pharaonem mutaturum fuiſſe animum; v. 5. niſi quia ſtatuerat eum indurare? Neq; tamen propterea extra culpam eſt Pharao: qui voluntariè mutavit, & contra edictum promiſſionemq; ſuam. Exod. 12. v. 31.

Eadem eſt ratio eorum locorum, *quibus cauſa in nobis enunciatur*, Theſi 32.

Thes.32. si 32. eademq; *pœnæ, dationis* vid. *in re-*
Thes.33. *probum sensum, & projectionis*, Thesi 33. Et quis negat, *salutem fuisse propositam etiam* τοῖς ἀπολλυμένοις *? 2 Thess. 2. v.10.* Jam suprà dictum est, aliud esse hoc Dei *propositum*, ab eo, quo aliquos vocat secundùm *propositum*, vid. Electos tantùm, eosq; omnes. Quos enim hoc modo vocat, illis dat quoque parendi gratiam. non item omnibus, quos illo modo vocat; externè nimirum, per idem Evangelii verbũ. Quorsum etiam *notatur* ad marginem *evidens significatio termini Propter, Rom.1.v.26?* Quis enim negat, illum interdum *causam significare?* Quòd enim *non semper* ita significet; ipsemet fatebitur infrà Thesi 38.

Thes.34. Porrò autem, Thesi 34. *ex parabolâ seminantis, Luc.8.* tres *alias causas* recenset; & aliunde alias, vel etiam easdem.
Thes.35. dem. imò Thesi 35. *omnes causas à Christo, Joh.16. v.9. & Paulo, revocari* ait *ad incredulitatem.* At Joh.16.v.9. nihil aliud dicitur; quàm quòd *Spiritus Sanctus*

ctus arguet mũdum de peccato, quia non credunt in Christum. An'non incredulitas peccatum est? Est sanè: verùm aliud in iis, quibus Christus prædicatur; aliud in iis, quibus non prædicatur. Ibi, est κατὰ διάθεσιν: hîc, κατ' ἀπόφασιν. De illo intelligẽdum est, quod Christus ait: *Si non venissem, & locutus* »
fuissem illis; peccatũ non haberent. Nunc »
autem excusationem non habent de pec- »
cato suo. Johan.15.v.22. De hoc dicitur »
Rom.10.v.14. *Quomodo credent, de quo* »
non audierũt? Quò etiam spectat, quod »
iste dicit: *Et hi sunt, quos Pater dedit Christo; qui fidem ex auditu Evangelii accipiunt, & defendunt. Joh.6.v.45,46. Roman.10.v.17.* Et Thesi 36. *Iidem sunt,* Thes.36.
quibus datũ est, nósse mysteria regni Dei: qui scilicet manu fidei simplicis, & non *puerilis, quam opere & dono Dei, ex audito sinè repugnantiâ refractariâ verbo, hauserunt, ut est Joh.6.v.29. Ephes.2.v.8, 9. Philip.1.v.6,29. & 2.v.13. accipiunt in corde puro sermonẽ, & fideliter custodiũt.*

Nos nihilominùs exindè alias quoq;

colli-

colligimus causas: sed quæ docent, Christum non mortuū esse pro omnibus omninò hominibus. I. Quia *non omnes dati sunt Christo.* II. *neq; omnibus datum est, nôsse mysteria regni Dei.* An, quia non omnes accipere potuerunt?
„ Unde verò istud posse est? *Sinè me nihil*
„ *potestis facere omninò*; ait Christus Johan. 15. vers. 5. *Non potest homo accipere quicquam, nisi ei datum fuerit cælitùs.* Joh. 3. v. 27. Dandum igitur id est. At quomodo datum acceptumq; id esse dici potest, absq; præparatâ accipiendi voluntate facultateque. quâ positâ, tollitur contētus, qui antea erat. Obœdientia verò, & non-contemtus, jam donum est. Hic ergo *ordo est:* I. *Misericordia Dei.* II. *Verbum in mundo prædicatum, ut omnes ad fidem veniant. Johan. 1. v. 7.* III. *Donum Dei, per verbum acceptū obœdienter. i. e. fides, manus scilicet.* IV. *Per fidem justitia Christi, & reliqua bona.* Sed unde obœdientia est, & non-resistentia; nisi ex eodem Dei
„ dono? Si *nemo venit ad Christum, nisi*

Pater

Pater illum traxerit: Joh.6.v.44. quid „ opus est tractione; si non præcedit resistentia? Quare malè ait iste: *Omnia in omnibus operatur Spiritus Sanctus, si ei non resistitur.* quasi *non-resistentia* non sit opus quoq; ac donum Dei! Neque enim id exstat *1 Cor.12.6.* Multò minùs exstat *Phil.1.v.6. & 2.v.13. non-resistere perseverãtiam efficere.* Sed, ibi quidem dicitur: *Deum, qui inceperit in nobis* (fidelibus) *bonũ opus, perfecturũ id esse, usq; in diem Jesu Christi.* Hic verò: *Deum efficere in nobis, & velle, & perficere, pro benevolentiâ suâ.*

Priùs autem, quàm alterum aggrediatur argumẽtum, ducit nos ad *Scholas*, Thesi 37. ubi, *si quis argumentum ducit ab eo quod accidit, pro eo quod per se est, exploditur, objecto elencho Accidentis. Item, si falsam aut insufficientem causam, pro verâ & sufficiente arripit; elencho Non-causæ.* Non verò ita *in Scholis* Peripateticis. In his enim *Elenchus accidentis* est, quando quis putat, idem tribui posse subjecto, quod Thes.37.

acci-

accidenti, h.e. prædicato. 1 Elench. 4. Similiter *non-causæ elenchus* est, nō ut in Poster. Analyticis; sed in argumentationibus ad impossibile seu absurdum ducentibus: quando putatur hoc sequi ex illo; quod tamen non sequitur. uti patet ex responsione, quæ est μὴ παρὰ τοῦτο. ibid. Quorsum autem illa? *Hos elenchos*, inquit, *Studiosi, in præsente materiâ, tum Prædestinatianis hæreticis objicere possunt; tum Disputatoribus de morte Christi pro omnibus, non autem propter omnes.* Sed quo jure? Et cur non additur accommodatio? An quia jam patet ex dictis? Dixerat quidem Thesi 25. *Nos discimus ex Deo, non singulos generum salvari juxta Dei voluntatem, vitii hominū esse: quia nolunt obœdireEvangelio; & tandem, post multā Dei tolerantiam, justo judicio indurātur. Id in Scholis, ad Accidentis & Non-causæ elenchos refertur.* At neq; hîc accommodatio ulla est. & falsa sunt ista: I. *Singulos generum non salvari juxta Dei voluntatem.* Contrarium enim exstat

ſtat 1 Tim.2.v.4. Abſit autem contrarietas à Dei verbo. Quare de aliâ Voluntatis notione illud intelligendum; vid. quę nullo hominum vitio modoq́; violari,aut irrita fieri poteſt : uti poteſt hæc revelata, quam dicimus. II. *Vitio hominum, nolentium obœdire Evangelio, juxta Dei voluntatem non ſalvari ſingulos generum.* Qui namq; non audiunt, eo quòd eis non prædicetur Evangelium, voluntate Dei pereunt : & tamen non propter inobœdientiam; quâ perire tantùm poſſunt, quibus prædicatur Evangelium. Quibus autem nō prædicatur, an non Dei voluntate nō prædicatur; uti illis,quibus prædicatur? Si namq; vellet prædicari; mitteret illis quoq; præcones. Sed pergamus ad cætera.

Theſi 38. monet, *terminum Propter non ſemper ſignificare cauſam.* Quorſum autem ? Confeſſum ſiquidem eſt utrinq;, in hac materiâ,ſignificare cauſam impulſivam & finalem.& hæc cauſâ contradictionis.Diſputatores enim Theſ.38.

negant, Christum mortuum esse propter omnes: Libavius affirmat. Quid jam ad rem facit, aliter alibi significare; & ne causam quidem? Vanitatem autem videamus. Quid ergo significat; si non causam? *Antecedentiam,* inquit, *& consequentiam. Phil.2.v.9. Humiliavit se-ipsum, &c. propter quod exaltavit eum Deus.* Quo argumento? *Id & Psal.110.v.7. scriptum est,* inquit. Et quia *adversari videt* etiam *locum Heb.2.v.9.* ubi legimus, quòd *Jesus,* διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, *gloriâ & honore coronatus sit:* respondet, objecto *elencho æquivoci & figuræ dictionis: quòd* τὸ διὰ *ibi significet* PER; *sicut Act.14.v.21.* Sed hæc postulata sunt mera. Nam hîc, ut in viâ, per quam eundum sit ad terminum expetitum, manifesta est antecedentia & consequentia illius: illîc non item. quia aliud est, διὰ τῶν, cum genitivo; & aliud, διὸ & διὰ τὸ, cum accusativo. Neq; tamen antecessio illa est sinè causâ: quia est medium consequendi finis, ceu per efficientem effectus. Et ita sunt

ita sunt παθήματα, per quæ fit consummatio. *Heb.2.v.10.* Neq; sequitur: Hîc, v.10. nõ significat causam impellentẽ? Ergo neq; vers.9. Cur enim *mutaretur* non solùm *casus*; verùm etiã articulus?

Thesi 39. refutationem etiam instituit *Magistri sententiarum, Bellarmini, & aliorum Pontificiorum, causam meriti hîc quærentium; quasi Christus, humili suâ obœdientiâ, meritus sibi esset exaltationem & glorificationem.* Refutationis argumenta, sunt duo absurda. I. *Si hoc verum esset,* inquit: *aliquod perfectionis argumentũ, in personali unione naturæ humanæ cum divinâ in Christo, defuisset realiter; atq; ita cõmunio non respondisset unioni.* Sed quia consecutio ista non patet; rationem hanc addit: *Non enim potuisset in Christo inhabitare tota plenitudo divinitatis σωματικῶς. Col.1.v.19. & 2.v.9.* Verùm & ista non minùs postulatur; quã hoc, quòd locis allegatis sermo sit de unione, prout distinguitur ab officio. Alterum ejusdem farinæ, est tale: *Si etiam nomen datum est* *Thes. 39.*

Christo ultra omne nomen; idq; factum statim in initio conceptionis: qui fieri potest, ut realiter aliquid postea per meritũ accesserit? Postulatur enim; *id nomen datum esse Christo in initio conceptionis.* Neque hoc exstat locis ad marginem notatis, *Luc.1.v.32,35.Phil.2.v.9.Hebr.1. v.4,5,6.& seq.* Imò contrarium exstat Phil.2.v.9. datum vid. esse demũ post & propter humiliationem; quę ostendit quoq; modum quæsitum.

Thes.40. Atq; hæc de primo argumento, copiosè quidem & variè; sed citra refutationem solidam partis posterioris, quæ controversa est: An, quòd Christus mortuus sit propter omnes ac singulos homines, ullibi legatur, aut ex scriptis sequatur, secùs quàm secundùm sufficientiam; videlicet etiam secundùm efficaciam? Hac enim mente Disputatores illos negare, alterum argumentum evidenter docet; quod est: *Si propter omnes mortuus esset Christus; etiam omnes salvarentur.* Quã ratione consequentiam probarint Disputa-

putatores, vix intelligitur ex refutatione. Nos unâ tantùm afferemus, atq; alteram. Scriptura in absurdis ponit: I. Christum frustrà mortuum esse. Gal.2.v.21. II. Aliquid esse fortius Dei consilio & intentione. Roman.9.v.19. Nihilominùs *negatur sequi*; assumto pari postulato. *Sicut enim*, inquit, *non valet illud Prædestinatianorum: Si Deus vellet omnes salvos fieri*; (volũtate irresistibili, & cui effecta infallibiliter respondent) *etiam omnes salvarentur: quia, ut putant, Deus absolutè omnia, h.e. nullo excepto, quæ vult, facit: Ita nec illud valet.* Quam enim dat rationem de voluntate conditionali, quam revelatam & præcepti vocant; ea ab argumento aliena est. Ratio est, inquit; quia Dei voluntas quidem fit in omnibus: (Nota. Si intelligit, quòd, quæcunq; fiunt, Dei voluntate fiant; etiam ea, quæ fiunt contra Dei voluntatem, ut loquitur Augustinus, h.e. contra præceptum illius: verum dicit. Verùm ita non cohærent sequentia) sed

in absolutis absolutè; in *hypotheticis, juxta modum hypotheseos, ad alteram partem consequentis seu specialis voluntatis.* Intelligitur id ex additis: *Ubi si non fit ex beneplacito, ad salutẽ obœdientis; fit ex justâ pœnâ, conditionẽ salutis rejicientis.* Quòd-si perspicuè magis dixisset: Deus vult, h.e. invitat omnes, ad salutem per fidem apprehendendam; & ita apprehendentes salvat quoque: patuisset, eum deflectere ad voluntatem, cui resisti potest; de quâ quæstio non est. Ac de hac verum est, quod addit: *Itaq; non sequitur; Deus vult omnes salvari*, i.e. invitat ad salutem: *Ergo salvantur.* Invitatio namq; non necessariò consequentem habet paritionem: uti volũtas illa, de quâ est argumentũ, salutem & rem volitam cõsequentem
» habet; juxta dicta, Rom. 9. v. 19. *Volun-*
» *tati ejus quis resistit?* Et Psalm. 115. v. 3.
» *Quæcunq; voluit, fecit.* Nulla hîc est exceptio *absoluti*, (uti iste homonymiâ ludit) *& conditionalis.* Quem enim vult Deus per fidem salvari; (vult au-

tem neminem, nisi per fidem) ei ut gratiâ facit prædicari verbum, fid generandæ instrumentum; ita in co de ejus per illud accendit fidem. Non accendit autem in omnibus audientibus; sed tantùm in iis, quibus datum est. *Non* enim *est datum omnibus, nôsse mysteria regni cælorum.* Matthæi 13.v.11. *Non fecit ita omni nationi.* Psal.147.v.ultim. Quare falsa causa inconsequentiæ redditur ista: *Non enim vult absolutè; sed sub conditione.* Nam & illa, quæ Deus vult cum conditione, fiunt: uti demonstratum. Voluntas hæc non est *antecedens, seu generalis*; sed *consequens:* ita dicta, non tantùm *ex utrâque parte antecedētis*; (1. precipiendo omnib. fidem: 2. Credentes salvando; non-credentes perdendo) sed omninò omni. Nihil enim eorum, quæ vult hoc modo, qui proprius est, (nã Præcipere & Invitare, impropriè est velle) non tandē consequitur.

Atque ex his *videbis* etiam *ineptias* in quatuor dissimilibus, quæ Thesi 41. *Thes.41.*

quam *ſimilia* affert. I. *Si Deus feciſ-ſet omnia optima; manſiſſent talia.* Si-gnificare enim ſic demùm foret: *Si Deus voluiſſet, omnia, quæ fecit, manere talia, qualia cōdita ſunt; manſiſſent talia.* Hîc enim, & non ibi, locum habent pro-bationes iſtæ: *Voluntati ejus quis reſi-ſtit? Rom 9.v.19. Volūtas ejus eſt immuta-bilis: ſemel-decreta non poſſunt fieri ali-ter; ſed neceſſariò fiunt, ut decreta ſunt. Deum non pœnitet. Rom. 11. v. 29.* Jam igi-tur ſubſumatur: *At non manſerunt ta-lia.* Sequitur citra contradictionem: *Ergo voluit non-manere. Contradictio* autem *verſus ultimi Geneſ. 1.* ſequitur ex connexo illo falſiſſimo. Optimè namque non feciſſet Deus omnia; ſi manſiſſent talia. Melius ſiquidem fuit, eſſe mutabilia, qualia condidit. Eadem eſt ratio cæterorum. II. *Si Deus feciſſet hominē ad imaginem ſuam rectum & inexterminabilem; manſiſſet talis.* Pro; *Si feciſſet, ut maneret &c.* Quòd-ſi hoc perindè eſt; nego ex lo-cis allegatis evinci, *Deum condidiſſe homi-*

hominem inexterminabilem. Ratio est: Si inexterminabilis cōditus esset homo; non exterminaretur. Actus enim præsupponit potentiam. *Sap.2.v.* non 32, sed 23. dicitur quidem *Deus creâsse hominem ad conditionem incorruptam.* An autem corrupta est, quæ mutabiliter condita est; idque certis finibus? III. *Si Deus creâsset Diabolum in veritate; in eâ stetisset.* Pro: *Si creâsset, ut in eâ maneret,* &c. Differunt autem, *Creare in veritate;* &, *ut in eâ maneret.* IV. *Si Deus Adamum noluisset peccare; nō peccâsset.* Pro: *Non condidisset eum, qui posset peccare: neque legem tulisset; sinè quâ transgressio nulla futura erat.* Rom.4. v.15. Neq; tamen hoc est, ut calumniatur iste, *Deum facere causam peccati;* quà, illius causam esse, in vitio est: ut est homini, legi subjecto; non item Deo exlegi.

Hic, hîc est *fallacia accidentis* Aristotelea: & non in dissimilibus illis exemplis; uti putat Thesi 42. Par siquidem est ratio. Quemadmodum Thes.42.

enim, quod accidentis ſeu prædicati eſt, non ſemper tribui poteſt ſubjecto: ita nec, quod ſubjecti eſt, prædicato. Nempe idem, ad varias cauſas relatū, peccatum eſt & non eſt. v. G. Hominem occidere. Quod ſi privatus faciat; peccat: nō item, ſi Magiſtratus. Quantò minùs Deus, etiam jubendo occidere? nedum non-impediendo, aut creando hominem talem, qui peccare poſſit. Neque enim potuiſſet homo: niſi talem Deus condidiſſet; aut legem contra arborem tuliſſet. Atque hæc ſatìs ſunt, ad diluendas nugas *Auguſt. Confeßionis Menzeri*, in margine objectæ; ut & ad ſequentia. Cur enim *Dei præſcientia, determinata præſertim, non afferret neceßitatem effatis*, æquè ac rebus? Neceſſitatē dico eventus; non coactionis. Præſcivit Chriſtus proditorem ſuum Judam. Quia tamen præſcivit, non ideò Judas coactus Chriſtum prodidit; etſi neceſſarió. Utrinque ſanè dependet neceſſitas effati, & à præſcientiâ, & à re. Prædictio nam-

que

que proditionis ideò necessaria est, & fallere non potest: quia & Deus prævidit; & res secundùm prævisionem futura erat. Verum quidem est, *Effatorum necessitatem pendêre, non ex externâ, sed internâ rerum affectione:* ut, quia hæ necessariò futuræ sunt, indè effatorum oriatur necessitas. At indè tamen non efficitur, quin verum quoque sit in contrariū; pendêre etiam rerum necessitatem ex prædictionum necessitate. Hinc enim sexcenta illa: *Hoc au-* "
tem totum factum est, ut impleretur di- "
ctum per Prophetam, &c: Matth. 1. v. 22. "
& 2. v. 15, 23. & 4. v. 14. Vide etiā Matth. 26. v. 54, 56. Luc. 24. v. 44, 46. Quid igitur, quæso, absurdi est, *Deum esse obnoxium fatis* suis, quæ ipse edidit? post ea *non* ampliùs *liberè* (h. e. aliter quàm effatus est) *regere creaturam?* Ut autem coactio nulla introducitur, hac libertate sublatâ: (hac, inquā. manet namque adhuc alia voluntaria, opposita coactioni) ita neque *contingentia in rebus humanis evidentissima tollitur.* Volente

lentes enim, & in utramque partem, facere non cessant homines, quæcunque faciunt: etsi, Dei respectu, aliter facere non possint. v.G. Judas volens, non invitus, prodidit Christum: necessariò tamen, propter prædictionem, quam oportuit impleri, juxta modò-dicta. Prædictionis autem causa, est præsciẽtia & præordinatio Dei: Act.4.v.27,28. quemadmodum imple-
» tionis, Deus ipse. *Hic* enim *est, qui, quæ*
» *prædixit per Prophetas, sic implet*, Act.3. v.18. ut prædixit.

Quare falsum est, quod notat iste: I. *Necessitatem enuntiationum, ex perpetuâ & immutabili dispositorum argumentorum affectione, & non ex alicujus scire vel nescire, exsistere.* Si enim, *uti res sunt, ita enuntiationes*; & *verum est id, quod enũtiat uti res est*; & res omnes pendẽt à Deo, ut causâ omnium; prædicunturque non nisi secundùm præscientiam, præordinationemque illius: sequitur, earũ necessitatem pendère quoque à præscientiâ. An *providentia*

dentia Dei, quâ sunt & regũtur omnia, est sinè scientiâ? Si ergo rerum necessitas pendet à providẽtiâ; (*quæ*, ut ipse objicit, *non est tantùm præcognitio; sed & vis quædam & energia, seu actus & principium, omnia potenter sic promovens, uti sunt decreta ab æterno*) & enũtiationum à rerum necessitate: sequitur, quòd enuntiationum quoque necessitas pendeat à providentiâ. Quod autem *respondet; discernere oportere fundamenta providentiæ*: quid ad rem? Et quæ sunt *fundamenta* illa? *Providentia*, inquit primò, *vel circa ea est, quæ Deus probat & efficit; ut bona, & mala pœnæ*: (quasi verò nõ omnia, quæ fiunt, essent aliquo modo bona; ideóque probaret illa Deus, eoque modo efficeret! Quòd-si enim non probâsset, v. G. Christum pati ab hostibus iniquissimè: impedivisset utiq;, cùm posset; neque ita implevisset. Act.3.v.18.) *vel permittit quidem fieri, & tolerat, dirigitq́; sed non probat, nec efficit*, vid. quà mala sunt. *Ita* enim *& autores pro*

reis

reis habet, & punit; nisi agant pœnitentiam. Quà vero sunt bona, ut pœnæ, probat & efficit, non minùs, ac cùm mittit Filium suũ, & implet in eo prædicta hostium scelera.

Item, inquit secundò, *quædam Deus absolutè statuit, quæ mutari nolente non possunt.* Quid hoc dictum est? An Deus quædam statuit absolutè, quæ mutari non possunt, quia non vult? Sed hoc falsum est, quòd quædã tantúm. Quæcunque enim statuit Deus, sive conditionaliter, sive absolutè, mutari non possunt: quia statuere est velle. Velle autem Dei ad utraque se extendit: & ad ea, quæ non mutantur; & ad ea, quæ mutantur. Ut enim, quæ non mutantur, voluntate Dei non mutantur: ita & quę mutantur. Proinde falsum quoque est, quod additur: *Quædam conditionaliter* statuit Deus; *circa quæ etiam est aliqua libertas voluntatis, ad spontaneum Dei cultum, &c.* si de eventu fortuito intelligatur; ut quidem videtur. Nam & ista Deus ita statuit, uti fiunt.

Con-

Conditionaliter Deus statuit, salvare homines, & damnare; vid. si credant, aut non-credant. Indè tamen non efficitur: si, qui credunt aut non-credunt, spontè liberéq; credunt aut non-credunt; ideò falsum esse, id Dei ratione fieri necessarió. Expressè enim legimus, Act.13.v.48. *Crediderũt, quotquot* „
erant praeordinati ad vitam aeternam. „
An, qui praeordinati erant ad vitam aeternam, poterant non-credere? etsi, dum credunt, sponte liberéque, h.e. scientes-volentes, & non coacti, credunt. Eadem est ratio non-credentium. Joh.12.v.37. *Tot eo* (Christo) *signa* „
faciente coram eis, non credebant in eum: „
ut sermo Esajae Prophetae impleretur, &c. „
v.38. Hoccíne est eventus fortuiti aut contingentis? Quare etiam additur in textu: *Propter hoc non poterant credere;* „
quia iterum dixit Esajas, &c. v.39. Qui „
tamen non crediderunt, volentes, & non coacti, non crediderunt: quantúmvis, Dei ratione, necessarió. Annon enim, quae praevidit & praeordinavit

navit Deus, necessariò fiunt; neque secùs possunt, quàm prævidit & ordinavit?

Omnia verò Deum habere præsentia; & scivisse, antequàm inciperent esse; cursum rerum præordinâsse: fatetur Thes. 43. Imò *insanũ* putat rectè *illum, qui neget, ea quæ non probat Deus,* (verbo scilicet revelato; sed prohibet in nobis) attamen *permittit, dissimulat, Act.17.v.30. tolerat per longanimitatem, Rom.2.v.4. & 3.v.4,26. & 9.v.22. dimittit, Act.14.v.15. Psal.81.v.13. inclusa esse præordinationi & providentiæ divinæ ab æterno.* Quomodo ergo negat, *hanc rationem rebus afferre necessitatem?* Imò non negat simpliciter; sed tantùm *per se,* & *intrinsecam:* de quâ quæstio non est; sed de extrinsecâ: quæ pendet à Dei *præordinatione* & *voluntate*, non præceptâ nobis in verbo; sed prohibitâ in multis. Hæc *voluntas,* hoc *consilium æternum, quod nos scrutari minimè possumus, quia non est revelatum, Rom.11.v.33. Job.36.v.23. Esaj. 40.v.13.*

1 Cor.

1 Cor.2.v.16. &c. hominum inobœdientiâ impediri non poteſt. *Sapientia* enim *& potentia Dei praſtò eſt, ut fiat*; etiam ſinè *oratione* noſtrâ. Præcepta autem & injuncta nobis in verbo voluntas, ſæpè non fit, propter impotentiam noſtram. hæc non fit, niſi *orando* impetremus faciendi facultatem. Hinc ſcitè Auguſtinus: *Da Domine, quod jubes; & jube, quod vis.* Differt autem hæc proviſarum rerum neceſſitas, à *violentâ coactione.* Neque enim illa *tollit libertatem voluntatis humanæ, & omnem contingentiam*; ut *violenta coactio*: multò minùs *facit Deum impulsorem, & violentum ad mala raptorem.* Quoniam, ubi vis eſt & coactio; ibi illa dicitur ratione voluntatis & noluntatis permanentis. Petrus quidem abnegavit Chriſtum neceſſario, propter prædictionem Chriſti: Matth. 26. verſ. 34. (Cœlum enim & terra potiùs præteribunt, quàm verba Chriſti. Matth. 24. v. 35.) non coactus tamen abnegavit, neque per vim illatam; ſed

volens. Matth.26.v.70.&c. fortè periculi depellendi causâ.

Atque hæc de *Exercitio* non-ſcho-
Theſ. 44. laſtico. Sequitur *ſcholaſticum*, à Theſi 44. ideò ſic dictum, *quoniam tandem* exponit, *quid de termino* PROPTER *ſentiant Scholæ.* Hoccíne non eſt *ſapere ultra id, quod ſcriptum eſt?* contrà quàm ipſe prohibuerat Theſi 2. ex 1 Cor.4. v.6. Ecquid tamen *Scholæ?* An nullæ ſunt Theologicæ? An prægreſſa non deſumta ſunt ex Scholis theologicis? *Scholæ* autem huic ſunt, *Ariſtoteles:* ex cujus *lib.* 1. *Poſter. Anal. cap.* 1. *&* 2. *&c.* affert *ſcientiarũ demonſtrativarũ* (quaſi aliquæ ſcientiæ eſſent non-demonſtrativæ!) τὸ διότι. *Præcipuus*, inquit, *ejus* (termini Propter) *uſus eſt in ſcientiis demonſtrativis : ubi proprietatem, quæ eſt* τὸ ὅτι, (quaſi commune quoque non ſit ὅτι!) *ineſſe ſubjecto, demonſtramus per* διότι ; *& quæſtionem facimus, Propter quid hoc ineſt huic? ut Riſibile homini, Latrabile cani, Hinnibile equo, &c.* Uſus hic non eſt alius in demon-

monſtrationibus ſcientificis, quàm extra illas. Quo namque modo in illis, τὸ Propter, non ſuâ naturâ, ſed ex ſubjectâ materiâ, quærit & dat *cauſam primam, immotam, ſcientificam*: ita quoque communem alibi. Suâ enim naturâ, quoties cauſam ſignificat, (non ſignificat autem ſemper; ſed quandoque etiam Juxta) nil niſi cauſam ſignificat; & æquè omnem: non *primùm formam*; *deinde finem*, *complexum formam*, ut ait Theſi 45. Neque enim in demonſtratione ita eſt. Et rationes, quibus probare conatur, *cauſas efficientes & materiales minùs eſſe ſcientificas*, meræ ſunt ineptiæ. Nam quod ait primò, *Materiam genericam vim habere, ad ſuſceptivum eſſe multorum*; id verum eſt tantùm formæ reſpectu, ſinè quo ipſa forma eſſe poteſt. h. e. materia tam arctam habet relationem ad ea, quæ ut proprietates ex eâ fluunt; quàm forma ad ea, quæ ex ipsâ. Efficientis eadem eſt ratio. Quomodo ergo, ſecundò, *efficiens eſt remo-* Theſ. 45.

tior à formâ? ad quam relationem non habet; sed ad effectum factum? Ita enim dicendum, propter cæteras causas; quæ ipsæ ad suos quoque effectus tantùm relationes habent: forma videlicet ad formatum; finis ad finitum; materia ad materiatum effectum. Neque tamen satìs propriè fortassis τὸ Propter quærit de efficiente: *ut, Propter quid navis est repanda seno tinâ? Propter naupegũ.* Sed, Quis hanc figuram dedit huic materiæ, ut jam sit & dicatur navis? Nam, Propter quid navis sit & dicatur, si quæras: quis non intelligat, quæri de usu primò; secundariò de formâ tali? Navis siquidem papyracea, ferrea, stannea, etsi formam navis habeat: quia tamen usum non habet, (uti non habet, quâ nemo vehi potest in aquis) solo nomine sic dicitur; sicut oculus pictus, aut manus lignea. Neque *ratio* hîc *est firmior: Propter quid dies est lucida? Propter Solem.* Ita enim potiùs quæritur; Quid est, quod diem facit diem, h. e. lucidum?

dum? Neque enim dies sinè luce dies est; sed nox. Sol est, qui efficit diem & lucem. Neque etiam *forma* dici *est lumen Solis, per medium perspicuum diffusum:* sed lucidi forma hæc est. Est namque dies tẽpus, quo exorto Sole diffunditur lux per aërem, quà non impeditur. Num, quãdo pateretur Christus, dies non erat, à sextâ horâ usq; ad nonam, lumine Solis per mediũ perspicuũ non diffuso? Quorsum verò ista?

Si, ut rectè ait Thesi 46. *ad quæstionem, Propter quid mortuus est Christus? τὸ διότι ex causâ finali respondetur; nempe, propter nos homines, & propter nostram salutem:* quid opus erat prægressâ disputatione logicâ? Dixi, rectè; quoad controversiam, quæ inter nos est. Aliâs enim *responderi* quoque posse *ab autoritate, & causâ efficiente*; mox dicet ipse Thesi 48. sed malè. Est enim hoc etiam à fine; ut ibi dicetur. Unde autem illud responsum probatur? *Ex symbolo Nicæno.* Atqui hoc nõ est Scriptura, initio promissa. Quid autem? *Thes. 46.*

Loquitúrne ſymbolum illud de aliis, quàm de credentibus, aut credituris? Neque etiam aliud evincunt loca allegata. Finis adventus Chriſti in mundum, non fuit princeps, *condemnare* quemquam; Joh.3.v.19.& 12.v.47. ſed *mundum* ſervare. Neque tamen venit ſervare ſingulos. Venit enim, ut fidem excitaret; quam excitavit nō in omnibus & ſingulis: non in Pilato, Herode, &c. alioquin illis quoq; fidem dediſſet, ut Petro, &c. Quare, ut credere non *accidit adventui Filii Dei*: ita neq; non-credere. Quòd-ſi Chriſtus intendiſſet, ſuo adventu promiſcuè omnes per fidem ſervare, ſeu ad fidem adducere: accideret ei, aliquos non-
„ credere. Quòd autem *venerit* etiam
„ *ad judicium; ut non-videntes videant,*
„ *& videntes cæci fiant.* expreſsè legimus
„ Joh.9.v.39. quemadmodum etiam *po*
„ *ſitum illum eſſe in caſum* æquè, *ac reſur*
„ *rectionem*, non omnium, ſed *multorum.*
Luc. 2. v. 34. Quare illud de *gente, pro quâ moriturus erat*, reſtringitur ad *Fi*

lios

lios Dei per orbē dispersos, Joh. 11. v. 51. &c.

Neq; hoc *dilatatur*, ut ait Thes. 47. per illud; *Traditus est propter peccata nostra: Propter scelus populi est percussus.* Finis enim restringitur potiùs: qui est, expiare peccata nostra; *fieri victimam pro peccato; nos liberare*, non *à servitute Legis damnantis*, (manemus namque Legi obligati; quantúmvis à maledictione ejus liberati simus) sed *à maledicto & jugo peccati.* Modum enim salutis tantùm tradit: quemadmodum & hoc, *facere filios Dei* ex filiis diaboli. Et quia id prædictum erat, cum multis aliis, per Prophetas: *venit* etiam hoc fine, ut impleret Scripturas. idq; non tantùm in salvandis; verùm etiam in perituris. v.G. Judâ proditore.. Finis hic quidem latior: neque tamen *caussa* posita *dilatatur.* Thes. 47.

Eódem recidit, quod Thesi 48. dicitur: responderi *ab autoritate, & caussi efficiente, Act. 2. v. 23. & 3. v. 18. & 4. v. 28.* uti docet medius locus. Extremi verò sunt de aliâ quæstione: Propter Thes. 48.

quid vid. seu quâ de causâ, *convenerint facere*, & fecerint etiam, *adversùs Filium Dei:* suóne tantùm consilio; an etiam Dei occulto? à quo dependet consolatio: ut excusatio ab ignorantiâ. Act.3. v.17. Conveniunt ambo in facto: differunt finibus. Dei enim finis, bonus est: hostium, malus. Factum est necessarium, ob definitionem prædictionemque Dei. Neque tamen indè sequitur *coactio:* ut hic quidem *notare* videtur; sed absque causâ. Nam & nos fatemur, nullum coactum aliquo fato malè agere: etsi non propter istam rationem; *alioquin non haberent peccatum Christi proditores & interfectores.* Est siquidē aliquod etiam peccatum non-voluntarium; ut hæreditarium, seu originale. Et quid est hoc, quod addit? *Deum, cùm præsentia intueretur omnia, quæ nostrûm respectu futura erant,* (imo & contingentia; quia voluntaria) *statuisse, sic sustinere & sinere; ut hoc modo salus & justitia reaccereturjuxta promissiones, &c.* An statuit,

tuit, [..]a prævidit futura: sive statueret ipse, sive non statueret? Nequaquam. Non enim essent futura; nisi ipse statueret. Statuit autem, ob dictam unitatem. Hoc verò statuere, quid aliud est, quàm ordinare? Neque tamen propterea etiam est precipere. non, quòd hoc quoq; non sit ordinare: sed quòd non tantùm, ex propriâ istius confessione.

Thesi enim 49. *opus redemtionis generis humani per Christum*, dicit *sic digestum esse, præfinito Dei consilio, & præordinatione; ut totum esset decreti divini.* Totúmne etiam preceptum? Sed discrimen tamen audiamus ab hoc diversum, ex per se & permissione: quæ minimè sunt opposita. Inquit igitur: *Totum quidē esse decreti divini: sed ut in ipso quædam fierent per se, ordinãte Deo; quædam permittēte, & quasi continente suam potentiam, ut fieri possent: quædam à Judæis; quædam à Gentibus. &c.* Thes. 49.

Hæccíne verò non *per se* ordinata fuêre; sed per accidens, aut per alterum.

Ista enim opposita sunt in Sch[illegible] A-ristoteléis. *Per accidēs* ista pecca[illegible]iunt; vid. quà per homines, quibus [illegible]rohibita sunt, fiunt: sed non tame *per accidens* fiunt, ratione Dei sic ordinantis. Hic enim, *ut prædixit*, *ita implevit*. Act. 3. v. 18. Num hæc non est *causa impellens*, *& per se procreans*? citra tamen coactionem. *Impellit* enim volentes suâ naturâ proclivâ. Num hoc est *tornare*, *& arcano quodam modo exponere*: *neq; ex Filio*; *sed ex* nobis *ipsis*? Ita quidem ajunt *Scarabæi Trinitatis* & Lutheri; ideoq; *ex sinu* eorū *excußi*. Qui verò in sinu eorum manent, & ad pedes eorum sedent; idem nobiscum docent: ideoq; nec Scarabæi sunt; neque ut Scarabæi excutiuntur.

Quid multa? Ipsemet tandem Thesi 50. agnoscit id, quod oppugnavit; dicens: *Reconciliari Deo quidem contingit salutariter, & fructuosè, tantùm credentibus: sed destinatione & voluntate Dei generali erat commune cum omnibus peccatoribus*; (ad quos vid. fa-

Thes. 50.

ctum est verbum. Non autem ad omnes & singulos factum est: ne quidem hodie ad singulos Barbaros) *si voluissent fidem suscipere.* Quid hoc est aliud, quàm, secundum efficaciam illo modo; isto, secundum sufficientiam? Ob hanc, invitantur etiam non-salvandi; & destinatur ipsis credituris regnum Dei. Quòd-si hoc *generale* est; necesse est aliud esse speciale, citra contradictionẽ: ut vid. destinata sit fides, nõ omnibus, sed aliquibus; quib. & datur. Hoc sensu falsum est, quod ait: *Non omnes fuisse reconciliatos*, (ad quos pervenit verbum reconciliationi) *tametsi idem beneficium destinatum erat omnibus.* Neq; enim, quibuscunque verbum destinatum est, etiam fides. Si namq; & hæc destinata esset: omnibus quoque contingeret; uti omnes verbum audiunt, quibus destinatum est.

Restant adhuc duo: prius, ex *Logicis*; posterius ex objectis criminibus. Illud, Thesi 51. est *regula* de nominibus *Thes. 51.*

ab

ab uno: *Propter quod unumquodq; tale est, illud est magis tale.* Quid verò hæc ad rhombum? Nihil prorsus. Namq; & nos fatemur, & *dicimus: non sic fidendum esse unico vocabulo, seu termino acutè excogitato; ut propterea totum corpus doctrinæ luxare velimus: sed totum servandum esse; ut-ut aliquid occurrere possit, quod videatur scrupulum movere.* At negamus, *id puerili simplicitate esse ad vitam alteram relegandum*; sed potius solvendum. Quid enim absurdi relegare non possemus, eâ ratione; *quia in hac vitâ ex parte tantùm cognoscamus 1 Cor.13. Episcopum* autem *oportet esse potentem, etiam ad redarguendum contradicentes, & obthurandum eorum ora.* Tit.1.v.10,11.

Thes. 52. Sequitur objectũ, Thesi 52. *Lucius,* inquit, *ille lucifuga Basiliensis, & blatta illa quæ Vindicias scripsit, vocat nos Semipelagianos: quia doceamus, Electionem factam esse propter fidem nostram à Deo prævisam.* Cur non autem? Pergit *Calumniator* iste *& mendax, ut Diaboli filius,*

lius, dicens: *Hîc τὸ Propter, volunt significare causam meritoriam, & opus, cui debeatur dignitas Electionis.* Cedò enim verba Vindiciarum, aut Lucii! Et cur sic vos non Pelagianos potiùs, quàm Semipelagianos, diceremus? Sed ecce refutationem! *Neq; enim*, inquit, *dicimus, Propter fidem nostram nos electos esse; sed FIDE, Dei dono, apprehendente propitiatorium Christum.* Si, τὸ Propter, causam significat quamvis; uti ex Logicis vidimus: & Fides est electionis causa; non verò effectus, uti nos dicimus: cur non etiã propter fidem dici possemus electi? *Hunnius* certè phrasin istã minimè refugit, quâ Fides electionis causa dicitur. Sic enim, in Explicatione controversiæ inter Huberum & Hunnium, ait: *Res præscita, nempe Fides in Christum Jesum, est causa Electionis.* Et in lib. de Provid. & Prædest. An. 1597. fol. 269. & seqq. tanquam rectè-dictum, etiam ex ipso Colloquio Mompelgartensi, defendere conatur. Neq; tamen sequitur:

tur: *Si propter fidem; Ergo propter fidem, ut causam meritoriam.* Hoc enim jam prorsus Pelagianum foret. Semipelagianum autem est; *Prævisionem fidei esse causam electionis.* Contradictorium vero: *Fidem esse Dei donum; & tamen prævisionem illius esse causam Electionis.* Quia enim Deus elegit, ideò donat quoq; fidem: non contrà, quia fidem donat, (ex prævisione seu præordinatione) ideo elegit. quicquid dicant *Hunnius, Menzerus, & alii Pseudo-Lutherani.* Eadem est ratio prævisionis. Neq; enim, quia futura erant, prævidit ordinavitq;: sed quia prævidit ordinavitque, ideò futura erant. Impedire siquidem posset, si quæ non ordinâsset. Quoniam ergo non impedit; exindè colligimus, ipsum præordinâsse. *Verùm & hæc hactenus.*

Τῷ Θεῷ δόξα.



ANTEPIGRAMMA in ANDREAE LIBAVII A VILIBUS INFICETISS. & VIROSISS. EPIGRAMMA.

ANDREAE *infames meritò ridemus Iambos;*
Rancida & absurdi scurrilia dicta Poëtæ,
Gymnasii egregio nimium heu indigna Magistro.
Non ultra scuticam Lictor. tibi credita Sparta
Ornetur genio, & longè meliore Camænâ.
Dissere, si quid habes; & doctæ abscondita mentis,
(Sed placidè, & priùs exstirpato dente canino)
Quo nunc cunq; modo pergas, penetralia pande.
Nec nos lucifugas blattas, infaustaq; monstra,
Scopticus incuses, Furiarum percitus æstro.
Ebibe, qui purgas alios, chymicasq; tabellas
Conficis, Helleborum. nimiùm vesana per omnes
Grassatur bilis venas, cerebrumq; malignâ
Confecit macie. heu! febris neglecta tremendam
Intentat phrenesin. Reliquos LIBAVIUS *annos*
Sic prudens numeret: sanæ ut libamina menti
Deferat; & sacras humilis volvatur ad aras;
Mordacesq; senex melior nunc temperet ausus.

L. I. G. P. L.

TALIO
in
Arietinum LIBAVII
Caput.

SI licet, & fas est, (ignosce Modestia) vim vi
Pellere: dentatas sannis eludere Jannas
Quis vetat? ut proprium perjanet Scorpius ictum?
Tabuerat tristi moribunda Calumnia morbo;
Et sublata foret, vel vis attrita nocendi:
(Hybernis veluti torpens algoribus anguis
Occultum sub ventre fovet; sed inutile virus)
Exspes auxilio tremulâ nisi voce vocâsset
Non-Chymicum Chymicum: qui pervigil exhibet omnes
Anticyræ succos; portentumq; eripit Orco.
Nec noxæ satis est: sed mordacissimus ἀνδρῶν
ANDREAS libat LIBAVIUS avius atram
Excrementorum saniem; subitoq; furore
Ictus, in innocuos mictum ruit, atq; cacatum.
Scilicet, ut niteat, quærit scurrilia Verum!
Hoc clypeo Pietas, hoc propugnanda duello!
An credis, levibus, nasute Tenebrio, fumis,
Ad calvarum avium invisum cognomen, & OTI,
Te posse ignifluum cœlo rescindere Solem?
Hoc si verba queant: esses, quem verba fatentur.
Ne terebret te BLATTA, cave: ne funera famæ
BUBONES, meritumq; canant fataliter omen.
Nec lucem fugio. tu Noli adversus, aperto,
More pyraustarum impinges in lampadis ignem.
Excussus propriis, aliena negotia curas:
Theiologus, Medicus, Sophiæ Iurisq; Sacerdos
Audis; Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Omnia cùm posses: te rodere posse, docendum,

E cun-

E cunctis restabat adhuc. Andacule Mome,
Effrons Mime; priùs, quæ chartis illinis autor,
Disce: ciniflones pueri ne fortè Magistrum
Anteeant. Stultum est, non intellecta docere.
Lividus, & mordax videor tibi? nónne reniti
Vermiculis intùs monstratum est. Desine probris
Latrare immeritos: ne perfundaris aceto:
Ne, fragili quærens virosum illidere dentem,
Offendas solido, frustrà cerebrosus. at uno,
Rusticiùs nemo, vappæ pollutus amurcâ,
Te fœnum in fracto cornu gerit. Vngue leones,
Dente lupi lædunt. te linguæ tela tuentur:
Linguaci tu Marte tonas: tu spernere falsa
Doctus es à veris; & inane abscindere soldo.
Si scuticâ dignum peccavimus, invide Mastix:
Ne scuticâ dignum horribili sectere flagello.
Sed flagris scissum est CHRISTI venerabile corpus;
Cur non & surdo lanietur verbere verbum?
Omnibus hoc vitium nugacibus; ut sua mandent
Singultim trepidari. Sed, te judice, vincis.
Nec quisquam Aegeriā contra, nisi BESTIA, pugnat.
Ingenium celat sermo; nudatq; vicissim.
Purpura ceu tauros conspecta lacessit ad iram:
Sic silvestrem animum Virtus illustrior urit.
Ad finem hoc unū, quod Marculus audiat, addam.
Quisquis pollutâ maledictis pace quietos
Provocat; hic aliquid de se delimat honesti!

IN IDEM.

I.

Tàm benè cùm scribas: cur tàm malè dicis, & audis?
Tàm malè si sentis: aut ὄνος, aut es ὄναρ.

II.

Infensum duxit, face prælucente, Pericles:
Te quoq; duco domum, quò videare foris.

III.

Iustitiam hîc veneror, nec enim convitia dicot
Reddo tuum; & dico, quæ tibi sint vitia.

IV.

Nil Graculum curem licèt: cùm tu tamen
Me BESTIAM *voces; te ego* LIBAVIVM

V. R. G. L.

Ad
ANDREAM LIBAVIUM
M. D.

NOS *natura docet, vim vi pulsare licere,*
Garrula lingua tibi est, frivola & obstrepera.
Nos alios, si justum odium est, si causa coactæ
Iræ, mordemus, carpimus & licitè,
Et lentum terimus ceroma, & classica dira
Concinimus, bilem justior ira movet.
Sordidior cano LIBAVI., *immania bella*
Moliris, damnum cura aliena dabit.
In Lucium spargis scurrilia dicta superbè,
Te solùm multo vère madere sale;
Ludit is innocuis verbis, nec scurra, nec ater
Rusticus adveniat, quod medium, ille colit.
Omnia quæ profers dicteria posse placere
Omnibus, & multum mentis habere putas,
Hæc bellè tractas, verè si dixero quiddam,
Magnus es ardelio, magnus homillus eris.

I. I. G. A. B. T.